

# Guillaume Heytesbury

## *Sophismata*

Les *Sophismata* sont l'œuvre maîtresse de Guillaume Heytesbury, logicien anglais du XIV<sup>e</sup> siècle. Ce texte est important aussi bien pour l'histoire de la logique que pour l'histoire de la physique et des sciences en général.

Ayant entrepris l'édition critique de cette œuvre, ce qui ne pourra être terminé de sitôt, à cause de la longueur du texte et du grand nombre de manuscrits à collationner, j'ai pensé qu'il serait utile qu'une transcription soit accessible dès à présent à tous les chercheurs.

C'est ainsi que vous trouverez sur cette page une transcription des 32 sophismes qui composent cette œuvre. La transcription est faite à partir de l'édition incunable de Bonetus Locatellus, Venise, 1494.

---

Ce travail a été réalisé grâce à une subvention du Fonds pour la Formation de Chercheurs et d'Aide à la Recherche (FCAR) financé par le Gouvernement du Québec et intégré au [Projet \*Sophismata\*](#) de l'équipe d'Alain de Libera (Université de Genève et FNS).

---

### Liste des 32 sophismes

1. Omnis homo est omnis homo
2. Omne coloratum est
3. Omnis homo est totum in quantitate
4. Omnis homo est unus solus homo
5. Omnis homo qui est albus currit
6. Anima Antichristi necessario erit
7. Omnis propositio vel ejus contradictoria est vera
8. Isti ferunt lapidem
9. Neutrum oculum habendo tu potes videre
10. Quilibet homo morietur quando unus solus homo morietur
11. Tu es quodlibet vel differens a quolibet
12. Isti sciunt septem artes liberales
13. Isti pugnant ut vincant se

14. Omnis homo est animal et e converso
  15. Bis duo sunt tria et non plura
  16. Omnis homo et duo homines sunt tres
  17. Omnes apostoli sunt duodecim
  18. Infinita sunt finita
  19. Quicquid auditur a Socrate profertur a Platone
  20. Deus scit quicquid scivit
  21. Tu scis quicquid scis
  22. Quodlibet aliquorum animalium est non homo, quorum quodlibet est homo
  23. Cujuslibet hominis asinus currit
  24. Omne animal fuit in archa Noe
  25. Omne verum et deum esse differunt
  26. Omnis fenix est
  27. Totus Socrates est minor Socrate
  28. Album fuit disputaturum
  29. Deus erit in quolibet instanti non existens
  30. Socrates decipitur nisi ipse decipiatur
  31. Necessesse est aliquid condensari si aliquid rarefiat
  32. Impossibile est aliquid calefieri nisi aliquid frige fiat
-

## Liste des manuscrits qui contiennent les *Sophismata* d'Heytesbury

Cambridge. Peterhouse 102, 141rb-218vb  
Cesena X.sin.5  
Erfurt, Ampl. Q.258, 1-104  
Erfurt, Ampl. Q.332, 3-100  
Florence, Biblioteca Medicea Laurenziana, Gaddiana 188, 89r-104r et 104v-141v  
Oxford, Bodl. Libr. Canon.lat. class.311, 9ra-39rb  
Oxford, Bodl. Libr. Canon.misc.409, 29ra-98vb  
Oxford, Bodl. Libr. Canon.misc.203, 75-99  
Oxford, Bodl. Libr. Canon.misc. e 79, 61ra-96vb (incomplet)  
Oxford, Trinity College 198, 1-176  
Padoue, B. Univ. 1123, 96va-172va  
Paris, B.N., lat.16134(16234 dans Weisheipl), 81ra-146ra  
Rome, Bibl. Apost. Vatic. Lat. 3056 1ra-41vb  
Rome, Vat. lat. 2137, 1ra-78vb (incomplet)  
Rome, Vat. lat. 2138, ra1-86ra  
Venise, Padri Redentoristi 519  
Venise, Marc. Z.L.310, 54ra-79vb six sophismes seulement  
Worcester F.116, 1-46v

## <77va> Incipiunt Sophismata Hentisberi

### <Primum sophisma>

#### <Omnis homo est omnis homo>

Omnis homo est omnis homo.

Probatur: iste homo est iste homo, et iste homo est iste homo, et sic de singulis; ergo omnis homo est omnis homo.

Ista consequentia arguitur sic: quia sequitur ‘iste homo est iste homo, et iste homo est iste homo, et sic de singulis; ergo iste homo est iste homo<sup>1</sup> et sic de singulis’. Et ultra<sup>2</sup> tunc arguitur sic: iste homo est iste homo<sup>3</sup>, et sic de singulis; ergo iste homo est omnis homo, et sic de singulis; ergo<sup>4</sup> omnis homo est omnis homo; ergo a primo et cetera.

Praeterea: iste homo est iste homo<sup>5</sup>, et sic de singulis, sed non potest esse quod iste homo est iste homo<sup>6</sup> et sic de singulis nisi omnis homo sit omnis homo; ergo <omnis homo est omnis homo>.

Consequentia patet, et assumptum arguitur: quia si potest esse quod iste homo sit iste homo et sic de singulis, ponatur, et tunc sequitur quod iste homo non potest esse iste homo et sic de singulis nisi omnis homo sit omnis homo.

Ideo ad primam consequentiam respondetur communiter dupliciter: vel dubitando consequentiam, quia dubitatur an arguitur ex impossibili, vel concedendo consequentiam et negando antecedens. Unde, quocumque demonstrato, est hoc falsum ‘iste homo est iste homo et sic de singulis’, quia, ut dicitur, haec propositio singularis significat quod iste homo sit omnis homo, quod tamen non est verum. Ideo negatur probabiliter. Ex illa etiam sequitur illa quae apparet falsa, videlicet quod ille homo est ille homo<sup>7</sup> et sic de singulis, demonstrato semper eodem. Ideo negatur prima sicut et secunda. Sed nullum est argumentum cogens ad negandum aliquam illarum. Unde sicut probabiliter negatur illa, ita probabiliter sustinetur eadem dicendo quod sicut haec est concedenda ‘iste homo est iste homo, et iste homo est iste homo, et sic <77vb> de singulis’, diversis demonstratis, ita conceditur illa tamquam convertibilis cum illa, scilicet ‘iste homo est iste homo et sic de singulis’; igitur elige.

Aliter etiam arguitur sic: aliquis homo est qui est omnis homo; ergo sophisma verum.

Consequentia patet, et antecedens arguitur: quia aliquis homo est, et quilibet homo est ille; ergo <aliquis homo est qui est omnis homo>.

Consequentia patet, et assumptum arguitur: quia antecedens est una copulativa cujus prima pars est vera et secunda pars est una universalis cujus quaelibet singularis est vera cum prima parte; ergo et cetera.

---

<sup>1</sup> homo: et iste homo et iste homo add.P

<sup>2</sup> ultra V: om.P

<sup>3</sup> homo: et iste homo add.P

<sup>4</sup> et sic de singulis ergo V: et si sic P

<sup>5</sup> homo: et iste homo add.P

<sup>6</sup> homo: et iste homo add.P

<sup>7</sup> homo: et iste homo est iste homo add.P

Antecedens patet: quia quaecumque singulari accepta, ipsa est vera cum prima parte; ergo et cetera.

Antecedens patet: quia demonstrando Socratem haec est vera ‘aliquis homo est et iste homo est ille’. Et consimiliter arguitur de quolibet singulari. Ideo si conceditur quod quaelibet singularis secundae partis illius copulativae est vera cum prima parte totius copulativae, arguitur tunc sic: si quaelibet singularis secundae partis sit vera cum illa universalis sic primo significet et cuilibet supposito subjecti correspondeat una singularis, sequitur quod illa universalis est vera; et si sic, sequitur quod tota illa copulativa est vera.

Ideo si conceditur illa copulativa, sicut est concedenda, contra consimiliter improbatur, ut videtur: quia illa est una copulativa cujus quaelibet singularis primae partis est falsa cum secunda; igitur <et cetera>.

Antecedens arguitur: quia quaecumque singulari primae partis data, illa est falsa cum secunda parte: quia, demonstrato Socrate, illa est falsa cum secunda parte, videlicet ‘Socrates est et quilibet homo est ille’. Et consimiliter arguitur de quaecumque singulari. Et tunc arguitur sic: quaelibet singularis primae partis est falsa cum secunda parte; ergo tota prima pars est falsa cum secunda parte; ergo illa copulativa non est concedenda.

Etiam arguitur sic: data prima copulativa, sequitur duo contraria esse simul vera cum eodem tertio: quia consimiliter sicut arguitur hanc universalem esse veram cum illa particulari et sic verificari totam hanc copulativam, scilicet ‘aliquis homo est et quilibet homo est ille’, sic arguitur illam universalem negativam esse veram cum eadem, scilicet ‘aliquis homo est et nullus homo est ille’: quia quaelibet singularis secundae partis<sup>8</sup> est vera cum prima parte; ergo et cetera.

Antecedens arguitur: quia, demonstrato Socrate, haec copulativa est vera ‘aliquis homo est et iste homo non est ille’: quia Plato est et iste homo non est ille, demonstrato Socrate; ergo aliquis homo est et iste homo non est ille.

Consequentia haec arguitur: quia ex prima parte copulativae antecedentis sequitur prima pars copulativae consequentis, et secundae partes utriusque sunt eadem; ergo tota copulativa secunda sequitur ex tota prima. Vel ponatur gratia argumenti quod eadem sit secunda pars utriusque copulativae, et tunc arguitur quod secunda copulativa sequitur ex prima per argumentum prius factum.

Ad primum istorum, quando arguitur quod aliquis homo est qui est omnis homo, negatur.

Et ultra, quando dicitur “aliquis est et quilibet homo est ille”, conceditur.

Et ultra, negatur consequentia quando arguitur ex illo quod aliquis homo est qui est quilibet homo. Arguitur enim a sensu diviso vero ad sensum compositum falsum.

Et ad argumentum contra illam copulativam concessam, respondetur primo negando quod quaelibet singularis primae partis est falsa cum secunda parte, immo, quaelibet singularis primae partis est vera cum secunda parte.

Et si arguitur consequenter sic: illa copulativa est falsa, et non pro secunda parte; ergo pro prima, huic dicitur quod secunda pars est falsa et non prima.

Et <78ra> si tunc arguitur quod prima copulativa sit falsa quia secunda pars est falsa, quae est eadem cum secunda parte hujus copulativae ultimo negatae, huic dicitur quod non est eadem nec convertibilis cum ea, non obstante quod voces sint similes, sicut nec illae propositiones sunt eadem ‘hoc est hoc’ et ‘hoc est homo’, in quarum prima demonstratur homo et in secunda asinus. Est enim una vera et reliqua falsa.

---

<sup>8</sup> secundae partis V: om.P

Ideo quando arguitur quod secunda pars primae copulativae concessa est falsa cum qualibet singulari primae partis, negatur et dicitur quod non est eadem propositio universalis conjuncta cum illa particulari et conjuncta cum suis singularibus.

Et si ponatur quod sit eadem, sicut ponitur in secunda reductione illius argumenti, dicitur quod prima copulativa est falsa, nec debet concedi illam esse veram, ipsa tamen copulativa bene potest concederi. Unde aliud est concedere illam copulativam esse veram et aliud concedere illam copulativam. Concedere enim illam copulativam quando proponitur, scilicet ‘aliquis homo est et quilibet homo est ille’ non est plus quam concedere quod aliquis homo est et quilibet homo est ille; sed concedere illam esse veram est concedere quod ita sit totaliter sicut illa significat quatenus est propositio vera. Et hoc non est verum in casu illo quo ponitur quod eadem universalis sit secunda pars duarum copulativarum quarum una est concedenda et alia neganda.

Et per hoc patet responsio pro parte ad illam secundam reductionem argumenti. Unde quando arguitur quod, concessa prima copulativa, eadem ratione debet concedi haec copulativa ‘aliquis homo est et nullus homo est ille’, dicitur negando consequentiam.

Et ad aliud, quando arguitur quod quaelibet singularis secundae partis, puta illius universalis negativae, est vera cum prima parte, negatur.

Et ad probationem, dicitur negando consequentiam, hanc scilicet “Plato est et iste homo non est ille, demonstrato Socrate; ergo aliquis homo est et iste homo non est ille”. Dicitur enim quod arguitur ab inferiori ad suum superius negatione postposita<sup>9</sup>; ideo non valet argumentum. Unde sicut non valet haec consequentia “Plato est et Socrates non est ille; ergo aliquis homo est et Plato non est aliquis homo”, sic non valet ista “Plato est et Socrates non est ille; ergo aliquis homo est et Socrates non est ille”, quoniam relativum semper refert suum antecedens in comparatione ad praedicatum si quod<sup>10</sup> fuerit, ut ‘aliquis homo est latro et tu es ille’.

Et tunc ad argumentum, quando arguitur ulterius “ex prima parte copulativae antecedentis sequitur prima pars copulativae consequentis, et secundae partes sunt eadem vel convertibiles; igitur tota copulativa quae est consequens sequitur ex tota copulativa quae est antecedens”, negatur antecedens, sicut prius dictum est, quia relativum semper refert suum antecedens in comparatione ad praedicatum; ideo habito diverso antecedente diversa erit significatio relativi; ideo non obstante quod illae propositiones sint omnino similes in voce, tamen non sunt eadem nec convertibiles quoad significationem.

Et quando ponitur ulterius quod tantum una et eadem sit pars secunda utriusque copulativae, respondetur tunc, ut prius, quod utraque copulativa est falsa, una tamen est concedenda quando proponitur et alia continue neganda.

Et si tunc arguitur contra hanc responsionem quod falsum numquam est concedendum nisi homo sit obligatus vel nisi fuerit verum pro tempore prolationis, huic dicitur quod sic. Ad hoc enim quod propositio sit digna concedi, sufficit quod apud communem modum loquendi ipsorum disputantium significet ipsa ipsi responsali qualitercumque sicut est quatenus est propositio una, vel quod alia sibi similis in voce sit huiusmodi, vel quod sibi <78rb> similis obligetur, vel quod ipsa vel alia talis apud communem modum loquendi disputantium fuisset necessaria vel vera pro tempore et cetera nulla facta mutatione ex parte rei quae tunc significabatur per ipsam sed solum nunc sit falsa per solam impositionem novam, ut posito quod haec sit impossibilis ‘deus est’, adhuc hoc non obstante debet concedi et negari ipsam esse necessariam vel veram et concedi ipsam esse falsam.

---

<sup>9</sup> vérf.

<sup>10</sup> corr. en quid?

Si tamen ex prima copulativa adhuc arguitur quod aliqua est universalis vera cum aliqua propositione particulari quae tamen est falsa cum qualibet singulari ejusdem particularis - quoniam haec copulativa est vera 'aliquis homo est et quilibet homo est ille', et tamen haec secunda pars non est vera, immo falsa cum qualibet singulari primae partis: quacumque enim data est talis copulativa falsa 'iste homo est et quilibet homo est ille'; igitur et cetera, huic satis respondeo, ut prius, dicendo quod haec consequentia non sequitur. Non enim eadem est universalis in una copulativa et in alia, sicut frequenter jam dictum est de virtute sermonis, tamen est vera cum qualibet singulari primae partis vel saltem est possibile quod ita sit sic significando, quia licet una cum illa copulativa scribantur omnes partes primae partis, ita quod simul in eodem libro vel folio sint omnes illae singulares et illa universalis, sunt tamen omnes illae singulares verae et etiam illa universalis vera. Illa enim adhuc significaret ut prius; ergo et cetera.

Praeterea: homo est omnis homo; ergo et cetera.

Assumptum arguitur: quia haec est necessaria sic significando 'omnis homo est homo', sed eadem est ista 'homo est omnis homo'; igitur haec est necessaria 'homo est omnis homo'.

Antecedens arguitur pro secunda parte: quia illa propositio 'omnis homo est homo' est isti quattuor termini 'omnis homo est homo', sed isti quattuor termini sunt illa propositio 'homo est omnis homo'; igitur et cetera.

Si negatur ista consequentia, sicut communiter negatur a minus bene intelligentibus, contra tunc arguitur: isti termini sunt illa universalis propositio 'omnis homo est homo', et etiam isti termini sunt haec particularis propositio 'homo est omnis homo', et tamen haec particularis non est ista universalis.

Sed contra: tunc sequitur quod illa particularis est alia quam illa universalis et quod haec particularis differt ab ista universali.

Sed contra: si haec universalis propositio sit alia quam illa particularis; ergo est aliquid aliud vel aliqua alia, quorum utrumque est falsum. Non enim est aliquid aliud, quia neutra earum est aliquid, ut supponitur in casu, nec est aliqua alia quam illa quae sunt illa particularis, quia isti quattuor termini sunt ambae propositiones nec una illarum differt ab alia, quia quicquid est unius illarum est alterius illarum; igitur et cetera.

Ideo si conceditur consequentia prima, sicut est concedenda, et negatur antecedens, scilicet quod illi quattuor termini sunt illae propositiones, contra: isti termini sunt una propositio, haec scilicet 'omnis homo est homo', sed qua ratione isti termini sunt propositio universalis apud sic concipientem istos terminos, erunt illi termini apud alium istos terminos modo retrogrado concipientem una propositio particularis, haec scilicet 'homo est omnis homo'. Ponatur igitur quod simul a diversis diversimode concipiantur, tunc vel <78va> isti termini sunt aliqua propositio vel nulla. Si aliqua, eadem ratione qua sunt una, sunt duae propositiones: quoniam sicut unus concipit per eos sic esse vel sic, alius per eosdem concipit aliter esse. Et si dicitur quod illi termini non sunt aliqua propositio, contra tunc sequitur quod visa aliqua propositione posses tu statim facere ipsam non esse propositionem solummodo videndo eam, quod non est verum; igitur et cetera.

Ideo ad hoc sic respondetur: quando arguitur primo quod haec sit necessaria 'homo est omnis homo' sic significando, dicitur negando consequentiam.

Et ad argumentum, quando arguitur quod haec propositio particularis 'homo est omnis homo' est illa universalis 'omnis homo est homo', negatur antecedens, quia dico quod quandocumque isti termini 'omnis', 'homo', 'est', 'homo' sunt ista propositio universalis 'omnis homo est homo', tunc non sunt haec particularis 'homo est omnis homo'. Et universaliter hoc est verum, tam in voce quam in scripto, quia numquam sunt idem termini simul duae tales propositiones. Et causa est ista quia ad hoc quod isti termini 'omnis', 'homo', 'est', 'homo' sint haec universalis 'omnis homo est homo', requiritur quod habeant ordinem

talem ad invicem juxta communem modum proferendi vel scribendi talem propositionem; et ad hoc quod ipsi sint haec propositio ‘homo est omnis homo’, requiritur quod habeant ordinem retrogradum. Unde qualitercumque concipiuntur diversimode simul illi termini adhuc non habent nisi unum ordinem; ideo qualitercumque legantur vel concipiuntur, semper simpliciter sunt una et non simul duae tales. Conceditur tamen quod haec universalis in scripto poterit esse illa particularis, et e contra, sed semper negatur quod illa particularis est illa universalis. Conceditur etiam quod in casu est possibile quod illa particularis fuit vel erit illa universalis, et e contra, numquam tamen est concedendum quod illa est ipsa universalis. De propositionibus tamen in conceptu aliud apparet dicendum quod istae nec habent ordinem ad invicem nec situm sicut propositiones in scripto. Ideo ibi videtur argumentum difficilium. Consimiliter tamen respondetur ibi sicut hic, dicendo quod propositiones in conceptu sunt intentiones rerum extra conceptum una cum actu concipientis, quo actu concipiens componit vel dividit ad invicem unam intentionem ab alia. Unde illa propositio ‘homo est animal’ est istae duae intentiones ‘homo’, ‘animal’ et ille actus quo concipiens hanc propositionem componit hanc intentionem ‘animal’ cum hac intentione ‘homo’. Et haec propositio ‘homo non est asinus’ est istae duae intentiones ‘homo’, ‘asinus’ et actus ille quo dividens negatur vel removet hanc intentionem ‘asinus’ ab hac intentione ‘homo’, unde sicut est unus actus quo componit componens, ita est unus actus quo dividit dividens. Et non est ponendum quod haec propositio ‘homo non est asinus’ sit quattuor intentiones rerum quarum duae sunt illa copula ‘est’ et illa nota negans, scilicet ‘non’, sed pro istis duabus est ponendus unus actus istius dividens quo removet praedicatum a subjecto. Verumtamen aliquando ad unam propositionem habendam requiruntur plures actus, quando scilicet propositio illa componitur ex pluribus intentionibus privativis vel distributivis, ut ‘primus motor est prima substantia abstracta ab omni materia indivisibilis, impartibilis’, ‘nullam habens magnitudinem punctus est indivisibilis situatus’. <78vb> Similiter: omnis homo est omnis homo, et sic de talibus propositionibus universaliter, et in omni tali propositione sunt plures actus, unde unus est actus quo componit et dividit intus intentiones et aliquis est alius quo concipit significatum termini privativi vel signi distributivi et sic de aliis. Ideo si arguitur quod eadem propositio in conceptu est propositio necessaria et impossibilis vel falsa, negatur consequentia vel antecedens ex quo concluditur illa conclusio, ut si arguatur sic: illa propositio in conceptu ‘omnis homo est homo’ est illae duae intentiones, et illae intentiones sunt haec propositio ‘homo est omnis homo’; ergo haec propositio ‘omnis homo est homo’ est haec propositio ‘homo est omnis homo’, conceditur consequentia et negatur antecedens, unde non est possibile quod aliquae intentiones sint una propositio in conceptu. Semper enim requiritur actus aliquis componendi vel dividendi qui non est intentio alicujus. Et illud satis apparet per Philosophum primo *Peri Hermeneias*, ubi dicit quod copula propositionis, puta hoc verbum ‘est’, significat quamdam compositionem quam sine extremis non est intelligere. Et semper ad diversam compositionem intellectus requiritur diversus actus; ideo non conceditur quod propositio necessaria in conceptu erit propositio impossibilis, nec e contra, sicut conceditur de propositione in voce vel in scripto quod erit impossibilis quia illi termini possunt habere alium ordinem, et nihil aliud requiritur ad hoc quod illi termini sint alia propositio nisi quod ipsi habeant alium ordinem juxta quem aliter significant quam prius. Sed sic de propositionibus in conceptu non est, quoniam praeter illas intentiones requiritur aliquid aliud.

Sed si arguitur ex illo quod nullus homo potest habere duas propositiones simul in conceptu nec aliquam propositionem per tempus, sed solum per instans, quia actus ille non manet nisi quando componit vel dividit, sed solum componit vel dividit subito seu in instanti; igitur et cetera; similiter: numquam aliquis habet duos actus tales simul, quia non simul componit diversas compositiones; igitur numquam scit aliquis duas propositiones, quod est inconveniens; ad hoc respondetur conjunctim sic dicendo quod simul habet aliquis diversas compositiones et simul componit diversas compositiones per tempus. Per tempus enim



componere non est aliud quam affirmare unam intentionem de alia, dividere, negare unam ab alia. Et ideo quia aliquis sciens per tempus affirmat diversas intentiones de diversis, ideo per tempus simul componit diversas compositiones.

Sed adhuc arguitur contra hoc. Videtur enim quod aliqua sit propositio in conceptu quae non sint multae intentiones et actus animae componendi vel dividendi, quia capiantur haec propositiones in conceptu ‘aliquid est’, ‘ens est’, et sic de talibus, nulla illarum habet plures intentiones, sed solum unam et unum actum; igitur ibi breviter non aliter affirmatur aliquid de aliquo, quia ibi non actus nec intentio alia, quia ibi non est intentio alia nec eadem de seipsa affirmatur, quia tunc sequitur quod illae propositiones essent omnino eadem in conceptu ‘homo est’ et ‘homo est homo’. Et, eadem ratione, istae <79ra> ‘quodlibet est’ et ‘quodlibet est quodlibet’, quod non est verum.

Ideo ad hoc respondetur consimiliter sicut ponitur de terminis privativis quod ipsi simul consignant actum et intentionem rei vel conceptum. Sicut etiam dicitur quod tales propositiones in conceptu ‘aliquid est’ et ‘homo est’, et sic de aliis sunt multae intentiones et iste actus componendi.

Et ad argumentum, quando arguitur “ibi non est alia intentio quam illa intentio ‘homo’”, dicitur quod sic. Est enim una intentio generalis quam dat intelligere haec nota compositionis ‘est’, et est illa intentio generalis ‘ens’. Et ibi componitur et affirmatur illa universalis intentio ‘ens’ de hac intentione ‘homo’ vel ‘aliquid’, et sic de aliis. Unde sicut terminus privativus, ut prius dicebatur, simul dat intelligere actum et intentionem habitus, ita hoc verbum ‘est’ cum praedicet secundum adjacens dat intelligere actum componendi, et hanc intentionem universalem ‘ens’, quando tamen praedicatur tertium adjacens, non dat sic intelligere quia expresse ponitur suum determinabile. Et sicut ponitur de hoc verbo ‘est’, ita est de multis aliis quae possunt praedicare secundum adjacens. De aliis enim non oportet, non tamen dant omnia eandem intentionem intelligere, sed diversa significant diversas intentiones, quod ex suis significationibus satis patet intuenti.

Praeterea: Socrates est omnis homo; ergo et cetera.

Antecedens arguitur sic: Socrates est unus homo alius a Socrate, et qua ratione est unus homo alius a Socrate, ipse est quilibet homo alius a Socrate et etiam ipse est Socrates; igitur ipse est omnis homo.

Ideo forte conceditur consequentia, sicut est concedenda, et negatur antecedens.

Contra, antecedens arguitur sic: Socrates est iste homo, demonstrato uno alio a Socrate; ergo Socrates est alius a Socrate.

Si conceditur consequentia, tunc arguitur sic: ista consequentia est bona, et antecedens est verum; ergo et consequens.

Assumptum arguitur sic, scilicet quod antecedens est verum: Socrates est iste homo, demonstrato alio a Socrate, quia, demonstrato uno alio a Socrate, Socrates est, et si Socrates est, Socrates est iste homo; ergo, a primo ad ultimum, demonstrato uno alio a Socrate, Socrates est iste homo, et si sic; ergo Socrates est iste homo, demonstrato alio a Socrate.

Ad istud forte respondetur negando secundam consequentiam, hanc scilicet ‘<si> Socrates est, Socrates est iste homo’, quia posset esse unus alius Socrates vel etiam duo, et tunc non valet argumentum.

Contra: ex ista responsione sequitur quod sicut non est negandum quin duo possent esse homines quorum uterque posset esse Socrates, sic etiam non foret negandum quin duo possent esse homines quorum alter vel uterque posset esse asinus, et tunc sequitur quod non foret negandum quod Socrates posset esse asinus et quod Brunellus posset esse homo. Sed eadem ratione deberet concedi quod homo potest esse asinus, et capra, et sic de aliis. Nulla enim est ratio istius responsionis nisi quod possent esse multi tales quorum quilibet foret vocatus

Socrates, et sic reliquitur quod Socrates posset esse asinus seu Brunellus. Potest enim sic vocari, quod nullus vult negare; igitur et cetera.

Sed tunc forte quaeritur, posito quod Socrates sit, et quod postea erit unus alius homo qui vocabitur Socrates, quae est ratio quod ille homo nunc est Socrates et iste alius postea non erit Socrates, cum ita communiter vel frequentius forte et a pluribus vocabitur ipse Socrates; quare ergo non conceditur ipsum fore Socrates sicut nunc conceditur <79rb> alium esse Socrates? Similiter: sunt plures Guilielmi, plures Gualterii, plures Ricardi, quare ergo non possunt esse plures Socrates?

Ad haec respondetur.

Et primo ad primum, quando ponitur quod nunc sit Socrates et postea erit unus alius qui consimiliter vocabitur Socrates sicut jam vocatur iste, et arguitur tunc quod ille secundus homo erit Socrates sicut jam est iste, quia nulla est ratio quare ille est Socrates quin per consimilem rationem sequitur alium fore Socratem quando erit, huic dicitur quod sic, unde non est causa quare ille sit Socrates eo quod sic vocatur. Quamvis enim iste numquam fuisset vocatus Socrates, sed solummodo fuisset vocatus Brunellus, adhuc non minus fuisset Socrates eodem modo sicut nunc est. Verumtamen ista propositio in voce et in scripto 'iste est Socrates' tunc non fuisset vera, sed falsa, et causa fuisset quia tunc iste terminus 'Socrates' non significat Socratem, sed aliquid aliud vel nihil. Ista tamen propositio in conceptu 'iste est Socrates' continue fuisset ita vera sicut nunc est, unde prius fuit ita quod Socrates est, etiam possibile fuit quod prius fuerit haec propositio vera in conceptu 'Socrates est iste homo' quam aliqua talis in voce vel in scripto fuit vera, licet tam in voce quam in scripto fuissent illae propositiones continue a primo instanti quo Socrates fuit. Prius enim iste fuisset Socrates quam iste fuisset vocatus Socrates, sicut posito quod iste non fuit vocatus Socrates in primo instanti in quo fuit. Et hoc communiter est verum de quocumque homine qualitercumque nominatur.

Et tunc per hoc respondetur ad formam argumenti, quando arguitur quod nulla est ratio propter quam iste est Socrates quin propter consimilem secundus erit Socrates, dicitur quod sic. Tota enim ratio quare iste homo est iste homo est ratio et causa quare iste homo est Socrates, et e contra. Et ideo sicut non potest esse aliqua causa quare secundus homo potest esse iste homo, sic nec potest esse aliqua causa quare secundus homo potest esse Socrates.

Et si arguatur contra hoc sic: aliquando ita erit quod ipse est Socrates; ergo ipse erit Socrates, concedenda est consequentia negando antecedens.

Et ad probationem, quando arguitur aliquando erit ista propositio vera 'iste homo est Socrates' sic significando praecise; ergo et cetera, antecedens arguitur: aliquando iste terminus 'Socrates' significabit illum Socratem sicut jam significat istum Socratem praesentem; igitur tunc subjectum illius propositionis convertetur cum praedicato ejusdem; igitur tunc erit ista vera 'hoc est Socrates', demonstrando illum futurum, huic dicitur concedendo quod illa erit vera 'hoc est Socrates', ipsa tamen numquam significabit illum esse Socratem, nec tunc ille terminus 'Socrates' significabit Socrates sicut nec ille terminus 'hoc' significat hoc, demonstrando per ipsum aliquid aliud ab hoc. Unde sicut haec propositio 'hoc est hoc', demonstrando Platonem, non significat hoc esse hoc, demonstrando Socratem, sic nec illa propositio 'iste homo est Socrates', demonstrando illum secundum, significabit tunc illum esse Socratem. Et causa est quia cum nulla vox significet naturaliter aliquam rem extra, illa vox 'Socrates' quae nunc significat Socrates ex impositione juxta tales proprietates et mediante tali ratione ipsum solum ita significat quod nullum alium umquam potest significare nisi aequivoce dum significat Socrates. Et ideo non significabit alium quam nunc significat, tunc omnino non significabit Socrates vel tunc significabit illos duos aequivoce. Unde licet haec propositio tunc erit vera in voce et in scripto 'iste homo est Socrates', demonstrato illo futuro, tamen numquam erit aliqua talis vera de illo in conceptu 'iste est Socrates'. <79va> Et

causa est quia talis intentio in conceptu non potest imponi ad aliquid novum significandum sicut potest terminus in voce vel in scripto. Unde demonstrando Socratem est haec propositio vera in voce et in scripto ‘hoc est Socrates’, et etiam in conceptu, et, Socrate corrupto, potest ista eadem in voce vel in scripto esse vera quia illa est vera. Illa tamen in conceptu quae jam est vera numquam potest esse vera Socrate corrupto, nisi illa intentio ‘Socrates’ poterit esse intentio universalis significando quemcumque similem hominem, sicut diceretur forte quod haec est vera in conceptu ‘hoc est stannum’, demonstrato argento, et haec similiter ‘omne quod est Socrates est Plato, et e contra’, et tamen Socrates et Plato sunt duo homines et nec Socrates est Plato nec potest esse Plato, nec e contra. Sed illa cavillatio non valet in proposito: quia tunc illae propositiones in conceptu non significabunt sicut illae propositiones in voce sibi similes significant. Talis enim propositio vera in conceptu ‘hoc est stannum’, demonstrato argento, ‘hoc est Plato’, demonstrato Socrate, non significat hoc esse stannum nec illud esse Platonem, sed significat hoc est tale metallum cujusmodi in rei veritate est stannum, et illum esse talem hominem cujusmodi est Plato et e contra; unde intentio illa, scilicet ‘stannum’ in tali casu tam bene est praedicabilis de argento illo demonstrato quam de stanno, et etiam illa intentio ‘Plato’ est tunc tam praedicabilis de Socrate quam de Platone; et ideo illa instantia non vadit ad propositum.

Istis ergo visis, faciliter respondetur ad secundam formam illius quaestionis incidentaliter quaesitae cum arguitur sic “plures sunt Ricardi, plures Gulielmi, et sic de aliis, et ergo plures possunt esse Socrates”, dicitur breviter quod non valet consequentia, sicut non sequitur ‘plures possunt esse homines, et plures asini, et sic de aliis; igitur plures possunt esse iste homo vel iste asinus’. Unde isti termini ‘Ricardi’, ‘Gulielmi’ sunt termini communes multis quamvis non sint sicut isti termini ‘homo’ vel ‘asinus’, et iste terminus ‘Socrates’ est ita singularis sicut ille terminus ‘iste homo’; ideo sicut non valet secunda consequentia jam praeposita, sic nec valet prima.

Conceditur ergo ista consequentia principalis argumenti ‘si Socrates est, Socrates est iste homo’.

Et ulterius, quando arguitur a primo ad ultimum “ergo, demonstrato alio a Socrate, Socrates est iste homo”, conceditur similiter ista consequentia dum tamen supponatur quod Socrates est iste homo. Aliter enim foret quaelibet illarum dubitanda. Unde nullo supposito dubitatur illa prima consequentia sicut quaecumque posterior, scilicet ‘Socrates est iste homo’ demonstrato alio a Socrate. Si enim Socrates sit homo, consequentia est bona, sicut argumentum satis probat.

Et tunc ad argumentum “Socrates est iste homo, demonstrato alio a Socrate; ergo Socrates est iste homo, demonstrato Platone, et sic de aliis”, huic respondetur negando consequentiam. Unde illa est bona ‘iste homo est Socrates’, demonstrato Platone alio a Socrate, haec tamen non valet ‘Socrates est iste homo’, demonstrato Platone. Prima enim valet quia convertitur cum hac quae est bona ‘si Plato alius a Socrate demonstratur, Socrates est iste homo’, secunda tamen non valet quia convertitur cum hac quae non valet ‘si Plato demonstratur, Socrates est ille homo’.

Similiter: si arguitur contra illam primam <79vb> consequentiam dubitatam, scilicet ‘Socrates est iste homo, demonstrato alio a Socrate’, sic: si Socrates est iste homo, demonstrato alio a Socrate; ergo Socrates est alius a Socrate, negatur consequentia, sicut non sequitur ‘Socrates est iste homo, demonstrato asino; ergo Socrates est iste asinus demonstratus’.

Contra: Socrates est iste homo, et demonstro alium a Socrate; ergo Socrates est iste alius demonstratus, negatur consequentia.

Contra: tunc sequitur quod Socrates est iste homo et demonstro solummodo Platonem, conceditur illam copulativam esse possibilem, quia est una copulativa cujus utraque pars forte est vera, scilicet ‘solum Plato demonstratur’, ‘Socrates est ille homo’. Unde sive aliquid

demonstratur sive nihil, non propter hoc Socrates est magis vel minus iste homo; ideo sicut Socrates est Socrates quamvis nullus homo demonstratur sic Socrates est iste homo quamvis nullus homo demonstratur. Patet ergo quod non valet prima consequentia, haec scilicet ‘si Socrates est iste homo, demonstrato aliquo alio a Socrate; ergo Socrates est alius a Socrate’.

Aliter arguitur ad sophisma sic: aliquis homo potest esse omnis homo; ergo sophisma est verum.

Consequentia arguitur sic: si aliquis homo potest esse omnis homo; igitur ille est omnis homo vel non est omnis homo. Si est omnis homo, habetur propositum quoniam tunc sequitur quod omnis homo est omnis homo; si ipse non sit omnis homo; igitur aliquis est homo qui non potest esse iste homo demonstratus, et si sic, ergo iste non potest esse omnis homo.

Haec consequentia ultima arguitur quia aliter sequeretur quod aliquid posset esse omnis homo et tamen non posset esse aliquis homo qui est, nec aliquis homo qui erit. Et consimiliter sequitur quod aliquis posset esse omnis homo qui erit et tamen nullus homo qui erit possit esse iste homo, et quod aliquis posset habere equum quem tu habuisti a rege et tamen numquam habuisti aliquem equum a rege nec umquam<sup>11</sup> habebis aliquem equum a rege, et sic de aliis.

Et quod omnia ista sequantur data priori responsione arguitur sic: quia illa nullum colorem habet ad ponendum quod aliquis homo posset esse omnis homo qui tamen non est omnis homo nisi hunc, scilicet quod possibile est quod aliquis talis sit omnis homo. Sed pari ratione, immo illa eadem ratione sequuntur omnia priora inconvenientia, ut patet intuenti. Ideo conceditur prima consequentia, haec scilicet ‘aliquis homo potest esse omnis homo; ergo omnis homo est omnis homo’.

Et tunc antecedens arguitur sic: possibile est hominem esse omnem hominem; ergo homo potest esse omnis homo. Consimiliter: possibile erit omnem hominem esse omnem hominem; ergo homo potest esse omnis homo. Similiter: potest esse quod homo sit omnis homo, et ita erit quod homo est omnis homo; ergo homo potest esse omnis homo.

Ad haec omnia similiter respondetur negando quamlibet illarum consequentiarum, et dicitur ulterius gratia disputationis quod non valet haec consequentia ‘homo est omnis homo; ergo homo potest esse omnis homo’. Si enim homo potest esse omnis homo, tunc sequitur, ut potest dici, quod homo potest esse omnis homo qui potest esse, consequens impossibile; ergo et antecedens. In omnibus enim his terminis, ut videtur, valet talis consequentia. Sequitur enim ‘Antichristus potest esse homo; ergo Antichristus potest esse homo qui potest esse, album potest esse nigrum; ergo album potest esse nigrum quod potest esse, et sic de aliis’. Si igitur homo potest esse omnis homo, aut igitur omnis homo qui potest esse, aut omnis homo qui non potest esse, sed non omnis homo qui non potest esse; ergo omnis homo qui potest esse. Similiter: non est possibile quod homo erit omnis homo; ergo et cetera. Et per haec media posset sustineri quod haec consequentia non valet ‘homo est omnis homo; ergo homo potest esse omnis homo’, verumtamen illa non satis probant aliquam consequentiam non valere. Posset enim probabiliter concedi vel negari; elige igitur. Utraque enim via satis probabiliter teneri potest.

Sed contra propositionem negatam, hanc scilicet ‘homo potest esse omnis homo’, arguitur probando illam sic: homo erit omnis homo; ergo homo potest esse omnis homo.

Assumptum arguitur sic: ponatur quod aliquid sit omnis homo, et etiam per totam horam futuram erit ita quod illud est omnis homo, et similiter per totam praeteritam horam fuit ita quod illud est omnis homo, et sit illud A gratia exempli, isto posito, A erit omnis homo.

---

<sup>11</sup> nec umquam corr. : nec numquam V

Probatur sic: per hanc totam horam A erit omnis homo; ergo per aliquod tempus A erit omnis homo; ergo A erit omnis homo. Aliter A erit omnis homo immediate post hoc instans; ergo aliquando A erit omnis homo; ergo A erit omnis homo. Similiter: A fuit omnis homo, et qua ratione A fuit omnis homo, A erit omnis homo; igitur et cetera.

Assumptum arguitur: quia immediate ante hoc instans A fuit omnis homo, et in primo instanti istius horae; igitur aliquando A fuit omnis homo; igitur et cetera.

Consequentia patet, et antecedens arguitur: quia immediate ante hoc instans A fuit homo, sed immediate ante hoc instans non fuit aliquid aliud homo nisi A; igitur immediate ante hoc A fuit omnis homo, et eodem modo arguitur aliud consequens. Similiter arguitur quod A fuit omnis homo in primo instanti hujus horae; similiter arguitur quod A fuit omnis homo: quia aliquando fuit ita quod A est omnis homo, ut in primo instanti hujus horae; igitur post illud instans fuit verum dicere quod A fuit omnis homo.

Consequentia patet: quia si aliquid nunc est, post hoc erit ita quod illud fuit.

Consimiliter arguitur in proposito: quia si fuit ita quod A est omnis homo; ergo post A fuit ita quod A fuit omnis homo.

Praeterea: si A non fuit omnis homo nec erit omnis homo, sequitur quod cum A nunc sit omnis homo, ipse nunc desinit esse omnis homo et etiam incipit esse omnis homo, et qua ratione A nunc seu in hoc instanti desinit esse omnis homo et incipit esse omnis homo, cum totaliter erat ita respectu A per totam hanc horam, sequitur quod per totam hanc horam A incipiebat esse omnis homo et desinebat esse omnis homo, et incipiet et desinet esse omnis homo, quod non est possibile. Etiam ex hoc argui potest quod si A numquam erit omnis homo nec umquam fuit omnis homo, sequitur quod A numquam incipit nec incipiet esse omnis homo. Si enim incipit vel incipiet; ergo fuit vel erit quorum utrumque prius fuit improbatum.

Ad haec respondetur negando, ut prius tactum est, quod aliquid erit omnis homo.

Et ad argumentum illo casu posito, quando arguitur quod A erit omnis homo, negatur illud.

Et ad probationem, quando arguitur quod per totam horam A erit omnis homo, negetur. Et similiter negetur illa propositio 'immediate post hoc A erit omnis homo'. Et negetur similiter quod immediate ante hoc vel in aliquo instanti A fuit omnis homo vel erit omnis homo.

Et ad argumentum, quando arguitur quod in primo instanti hujus horae A fuit omnis homo, negetur illa.

Et ultra, quando arguitur "tunc A fuit homo, et tunc nihil fuit homo nisi A; igitur A tunc fuit omnis homo", negetur consequentia, sed sequitur quod A fuit omnis homo tunc et in illo instanti <80rb> et quod A fuit omnis homo qui tunc fuit., sed ex hoc non sequitur quod tunc A fuit omnis homo. Unde non valet haec consequentia 'A fuit omnis homo in illo instanti; ergo in illo instanti A fuit omnis homo'.

Et consimiliter respondetur ad omnes formas consimiles, scilicet ad primam, quando arguitur quod A erit omnis homo quia per totam hanc horam A erit omnis homo, illa negatur et conceditur quod per totam hanc horam A erit omnis homo qui erit per totam hanc horam, et negetur consequentia ulterius ut prius 'igitur per totam hanc horam A erit omnis homo'.

Sed ad illam 'A erit omnis homo immediate post hoc', respondetur negando illam, et negatur quod immediate post hoc A erit omnis homo.

Secunda negatur quia ex illa sequitur quod A erit omnis homo, quod est falsum, alia negatur quia ex illa sequitur quod A erit immediate post hoc, quod est falsum. Nihil enim erit nec potest esse immediate post hoc, quia si aliquid erit immediate post hoc; ergo illud erit ante omnia instantia futura et ante quodlibet instans futurum, et hoc est impossibile: quia nihil erit antequam aliquod instans erit nec erit ante omnia instantia futura: quia ex illo sequitur quod illud erit antequam ipsummet erit et antequam aliquid erit, quod est impossibile: quia non citius erit illud nec aliquid aliud quam aliquod instans erit, sed illud erit antequam aliquod instans erit, ut ponit adversarius; ergo illud erit antequam ipsummet erit, quod est impossibile.

Negatur igitur quod aliquid erit immediate post hoc vel quod aliquid fuit immediate ante hoc instans, sed conceditur quod immediate ante hoc instans fuit aliquid et quod immediate post hoc instans erit aliquid.

Et si arguitur ex istis sequi eadem inconvenientia quam prius, scilicet quod aliquid erit ante omnia instantia futura et quod aliquid erit antequam ipsum erit seu antequam aliquid erit, dicitur quod illa non sequuntur ex illis sicut ex prioribus. Ista enim propositiones ‘immediate post hoc erit aliquid’, ‘immediate ante hoc fuit aliquid’ non plus significant nisi quod ante quodlibet instans futurum post hoc erit aliquid et quod post quodlibet instans praeteritum ante hoc fuit aliquid. Vel sic possunt exponi ‘immediate post hoc aliquid erit, <post hoc> aliquid erit, et nullum tempus erit elapsum post hoc quin ante ipsum aliquid erit; ergo et cetera’, ‘immediate ante hoc aliquid fuit, ante hoc aliquid fuit, et nullum fuit instans ante hoc quin post illud aliquid fuit; igitur et cetera’. Unde aliter debet exponi haec propositio ‘immediate post hoc aliquid erit’ et aliter ista ‘immediate post instans quod est praesens aliquid erit’, quamvis instans quod est praesens demonstratur per ly ‘hoc’ in prima propositione et propter diversas cautelas ipsius opponentis propter simplicitatem consequentiae. Unde demonstrando instans praesens haec consequentia non valet ‘immediate ante hoc Socrates fuit vel movebatur, et sic de aliis; ergo post quodlibet instans praeteritum Socrates fuit vel movebatur’, et ratio est quia immediate post hoc instans non valebit haec consequentia sic significando. Ponatur enim gratia exempli quod Socrates nunc primo sit corruptus vel quiescat, tunc non valet haec consequentia ‘immediate ante hoc Socrates fuit vel movebatur; ergo post quodlibet instans praeteritum Socrates fuit vel movebatur’. Si enim jam valeret consequentia; ergo sic significando numquam non valebit, sed immediate post hoc non valebit sic significando; igitur et cetera.

Antecedens arguitur: quia immediate post hoc erit antecedens illius verum et consequens falsum; igitur et cetera.

Antecedens patet intuiti: si antecedens est propositio necessaria, scilicet ‘immediate ante hoc Socrates fuit’; ergo ipsa sic significando numquam erit falsa, sed illa propositio ‘post quodlibet instans praeteritum Socrates fuit’ jam incepit esse falsa. Immediate enim post hoc non erit ita quod post quodlibet instans praeteritum fuit Socrates, quia immediate post <80va> hoc erit hoc instans praeteritum, et numquam erit ita quod post hoc instans praeteritum Socrates fuit; ergo et cetera.

Caveas ergo sic exponere illam propositionem. Illa tamen frequenter et quasi apud omnes sic exponitur et male. Debet enim sic exponi vel intelligi ‘immediate ante hoc Socrates fuit’, id est ‘post quodlibet instans praeteritum ante hoc Socrates fuit’ et ista ‘immediate post hoc Socrates erit’, id est ‘ante quodlibet instans futurum post hoc Socrates erit’, et non sequitur ex illo ‘ergo ante quodlibet instans futurum Socrates erit’: quia posito gratia exempli quod per ly ‘hoc’ demonstratur instans crastinae diei vel instans futurum per mille annos post hoc, tunc, sicut notum est, non valet consequentia. Ex ista propositione tamen ‘immediate ante instans quod est praesens Socrates fuit’ sequitur quod post quodlibet instans praeteritum Socrates fuit, et sic habet ista exponi. Etiam ex hac ‘immediate post instans quod est praesens Socrates movebitur’ sequitur ‘igitur ante quodlibet instans futurum Socrates movebitur’, et bene valet consequentia.

Juxta hoc est advertendum quod non valet haec consequentia ‘Socrates incipit esse; ergo Socrates nunc est, et immediate ante hoc non fuit’, vel ‘Socrates nunc non est, et immediate post hoc erit’. Et eodem modo cum hoc verbo ‘desinit’ non valet haec consequentia ‘Socrates desinit esse vel moveri vel esse talis vel talis; ergo Socrates nunc non est, et immediate ante<sup>12</sup> hoc fuit vel Socrates nunc est, et immediate post hoc non erit’. Est enim utrobique fallacia

---

<sup>12</sup> ante corr.: post V

consequentis. Arguitur enim quasi a particulari ad suam singularem. A terminis enim communibus arguitur ad terminos singulares. Ex hoc enim quod incipit vel desinit, arguitur quod nunc incipit vel nunc desinit. Et ideo conceditur ista stare simul quod Socrates desinit esse vel moveri vel esse talis vel talis, et tamen nec in hoc instanti est Socrates, nec immediate ante hoc instans fuit Socrates, nec post hoc instans erit Socrates. Et consimiliter conceditur quod aliquid incipit esse, et illud nec est in hoc instanti nec erit post hoc instans, et sic de aliis. Illa enim sequuntur ex praecedentibus, sicut patet.

Pro prima conclusione, pono quod hoc instans fuerit antequam Socrates fuit vel primum in quo Socrates fuit, et pro secunda ponitur quod hoc instans erit et quod illud de quo proponitur conclusio numquam erit post illud instans nec in illo instanti, sed ante illud instans. Tunc notum est quod quando illud incipiet esse erit haec copulativa vera si tunc erit sic significando quod hoc incipit esse nec tamen est in hoc instanti nec erit post hoc instans et multae sunt tales conclusiones cavillatoriae quae sequuntur hinc, sicut apparebit respicere volenti.

Ad alium argumentum principalis conclusionis, scilicet quod per totam hanc horam erit ita quod A incipit esse omnis homo et etiam desinit esse omnis homo, respondeo concedendo conclusionem, sicut probat argumentum. Sequitur enim si continue erit ita quod A est omnis homo, et numquam fuit omnis homo nec umquam erit omnis homo; ergo continue erit ita quod A incipit esse omnis homo et continue etiam erit ita quod A desinit esse omnis homo.

Et ulterius, quando arguitur ex illo quod A incipiet esse omnis homo et desinet esse omnis homo, huic respondetur negando illud sequi vel esse possibile. Unde non valet haec consequentia ‘continue erit ita quod A incipit esse omnis homo; ergo A incipiet esse omnis homo’, nec sequitur ‘nunc A incipit esse omnis homo; ergo prius fuit ita quod A incipiet esse omnis homo’, nec sequitur ‘in isto instanti futuro erit ita quod A incipit esse omnis homo; ergo in isto <80vb> instanti A incipiet esse omnis homo’. Et eodem modo non valet consequentia de praeterito sic arguendo: tunc fuit ita quod A est omnis homo; ergo A tunc fuit omnis homo.

Si tamen arguitur contra hoc dicendo quod in quibuscumque aliis terminis valet talis consequentia, ut videtur; igitur et in istis valet.

Antecedens arguitur: quia sequitur ‘tunc erit ita quod tu es Romae; ergo tunc tu eris Romae’, ‘tunc erit ita quod tu vides Socratem; ergo tunc tu videbis Socratem’, ‘tunc erit ita quod tu incipis esse albus; ergo tunc tu incipies esse albus’. Etiam ex hac responsione sequitur quod possibile est aliquam propositionem veram de praeterito incipere esse falsam significando omnino sicut prius, et quod possibile est propositionem falsam de futuro incipere esse veram significando omnino sicut prius, quorum utrumque videtur impossibile. Unde licet haec propositio ‘Antichristus erit’ vel aliqua talis de futuro indifferenter poterit esse vera vel falsa, non tamen est possibile quod ipsa vel aliqua talis incipiat esse vera postquam fuit falsa sic significando ut prius, et eodem modo arguitur de propositione vera de praeterito.

Ad haec respondetur sic: ad primum, quando arguitur “in aliis terminis quasi in omnibus valet talis consequentia; ergo et in istis valet”, negetur consequentia. Unde in terminis simplicibus non compositis bene valet talis modus arguendi, ut tunc erit ita quod hoc est; ergo tunc hoc erit, tunc erit ita quod hoc incipit esse album; ergo tunc hoc incipiet esse album. In terminis tamen compositis vel significantibus compositionem non valet hujusmodi consequentia. Unde non sequitur in casu priori ‘aliquando erit ita quod A est omnis homo; ergo aliquando erit ita quod hoc necesse est; ergo aliquando hoc necessario erit’, nec sequitur ‘aliquando erit ita quod Socrates incipit esse tantus quantus est Plato; igitur aliquando Socrates incipiet esse tantus quantus est Plato’. In casu enim possibili posito foret antecedens verum et consequens falsum; ergo consequentia non valet.

Ad aliud, quando arguitur quod est possibile quod propositio vera et affirmativa de praeterito incipiat esse falsa significando omnino ut prius, etiam quod propositio falsa in materia contingenti incipiet esse vera significando omnino ut prius, conceditur utraque conclusio.

Et ad argumentum, quando concluditur per similitudinem illam quod in aliquibus terminis non foret hoc possibile; ergo numquam, negetur consequentia. Et si allegatur regula vel auctoritas, dicitur quod intelligitur de propositionibus simplicium terminorum, ut prius et cetera.

Iterum ad sophisma arguitur communiter sic: contradictorium sophismatis est falsum; ergo et cetera.

Antecedens arguitur: quia contradictorium sophismatis est conclusio syllogismi facti ex oppositis in tertia figura vel in secunda; ergo est falsum vel impossibile.

Consequentia patet per Aristotelem secundo *Priorum*, ubi docet syllogizare falsum ex duabus praemissis oppositis una vera et alia falsa et utrisque falsis. Dicitur enim ibi quod universaliter in syllogismo facto ex oppositis negatur idem a se ipso; ergo conclusio erit falsa.

Similiter arguo sic: omnis homo est omnis homo vel omnis homo est non omnis homo, sed non omnis homo est non omnis homo; ergo omnis homo est omnis homo.

Consequentia patet: quia arguitur a tota disjunctiva cum contradictorio unius partis ad affirmationem alterius partis.

Antecedens arguitur. Prima enim pars antecedentis est satis manifesta, et secunda arguitur sic, scilicet quod non omnis homo est non omnis homo: quia aliquid quod est non omnis <81ra> homo est non omnis homo; ergo non omnis homo est non omnis homo.

Similiter: ponitur quod iste terminus A convertatur cum isto termino 'non omnis homo', tunc aliquid est A, et nihil aliud est A quam A; igitur A est A, et si sic, ergo non omnis homo est non omnis homo.

Ad primum istorum respondetur negando quod contradictorium sophismatis est falsum.

Ad argumentum, dicitur quod intelligitur in terminis simplicibus significantibus aliquam rem de cujus intentione sunt vere et affirmative praedicabiles, sed hujusmodi non sunt isti termini 'omnis homo'. Iste enim terminus 'omnis homo', licet significet omnem hominem, tamen non est praedicabilis vere et affirmative de aliquo. Quocumque enim demonstrato erit haec falsa significando 'hoc est omnis homo'. Similiter: in talibus terminis qui non significant non verificatur regula illa, cujusmodi sunt isti termini 'chimaera', 'mons', 'aureus', et sic de aliis.

Ad aliud argumentum, dicitur quod haec est neganda 'non omnis homo est non omnis homo'.

Et ad argumentum ulterius, negetur consequentia. In antecedente enim utrobique illa nota negationis tenetur privative seu infinite, sed in consequente tenetur negative, et est consequens contradictorium hujus 'omnis homo est non omnis homo'; et ideo est illa neganda eodem modo sicut haec 'non omnis homo est homo', et hoc est quia ejus contradictorium est necessarium. Et quaecumque poterit assignari ratio ad concedendum illam 'non omnis homo est non omnis homo', eadem vel consimilis poterit haberi ad concedendum illam 'non omnis homo est homo'. Unde consimiliter arguitur illa sicut alia omnino sic: iste homo est homo, demonstrato aliquo homine, et iste homo est non omnis homo; ergo non omnis homo est homo. Similiter: omne quod est homo est non omnis homo; ergo omnis homo est non omnis homo'; ideo certum est quod neutra consequentia valet sicut prius.

Et si arguitur contra hoc concludendo quod ex istis sequitur quod non est possibile quod non homo sit animal vel non asinus, ad hoc responderi potest indifferenter concedendo vel negando. Tamen aliquae sunt auctoritates, ut in primo *Peri Hermeneias*, ex quibus sequitur quod concedendae sunt tales conclusiones dum ly 'non' tenetur infinite, et potest concedi quod ibi tenetur infinite, sed ex communi modo loquendi in prioribus propositionibus negativis semper tenetur negative.



Aliter arguitur ad sophisma sic: Socrates est Plato; igitur et cetera..

Antecedens arguitur: ista propositio est vera in conceptu 'Socrates est Plato', quae naturaliter significat quod Socrates est Plato; ergo et cetera.

Similiter: aliqui homines sunt Socrates et Plato, et nullus illorum est Socrates; ergo et cetera.

Assumptum arguitur: ponatur quod A sit unus numerus qui sit Socrates et Plato, et quod B sit unus numerus qui sit Plato et A. Isto posito, aliqui homines sunt Socrates et Plato, et nullus istorum est Socrates.

Probo: A et B sunt Socrates et Plato, et nullus istorum est Socrates; igitur et cetera.

Assumptum arguitur: prima pars est vera, scilicet quod A et B sunt Socrates et Plato, quia A est Socrates et Plato et B est Plato, sicut patet intuiti. Arguitur etiam quod secunda pars antecedentis est vera, scilicet quod nullus istorum est Socrates, quia nec A est Socrates nec B est Socrates, quia A est Socrates et Plato. Eodem modo etiam arguitur de B.

Ad hoc respondetur.

Ad primum istorum, patet superius in responsione ad illud argumentum 'plures possunt esse Socrates'.

Ad secundum, breviter dicitur quod secunda pars istius copulativae est falsa.

Et tunc ad argumentum, quando arguitur quod nec A est Socrates nec B est Socrates; ergo nullus istorum est Socrates, demonstratis A et B, negetur consequentia, quia nec A nec B est aliquis istorum, secundum solum Socrates <81rb> vel Plato; ideo et cetera.

## <Secundum sophisma>

### <Omne coloratum est>

<82vb> Omne coloratum est.

Probat: aliquod coloratum est, et nullum est coloratum quin ipsum est; ergo et cetera.

Similiter: hoc coloratum est, et hoc coloratum est, et sic de singulis; ergo et cetera.

In oppositum arguitur sic: aliquod coloratum non est; igitur non omne coloratum est.

Antecedens arguitur sic: hoc coloratum non est, demonstrato uno non colorato; ergo et cetera.

Similiter: aliquid coloratum non est; igitur et cetera.

Assumptum arguitur: aliquid album non est; igitur aliquid coloratum non est, et si sic; ergo aliquod coloratum non est.

Praeterea: nisi aliquid coloratum non sit, quodlibet coloratum est, tunc ultra igitur quodlibet est coloratum.

Si negatur consequentia, contra: eadem ratione non sequitur 'quodlibet asinus est; ergo quodlibet est asinus', et tunc ista 'quodlibet asinus est' non significaret quod quodlibet est asinus, sed solum significaret quod quodlibet quod est asinus est, et posset illa ita bene tunc concedi sicut ista 'omnis asinus est'.

Et si conceditur, contra arguitur quod contradictorium istius foret concedendum, quia haec est necessaria 'aliquid asinus non est', quia est necesse quod aliquid asinus non sit, quia necesse est quod aliquid quod est homo asinus non sit, et tunc sicut conceditur quod quodlibet asinus est, deberet etiam concedi quod non quodlibet asinus est.

Praeterea: si omne coloratum est; ergo omne est coloratum.

Consequentia arguitur: quia quaelibet singularis consequentis sequitur ex aliqua singulari antecedentis; ergo tota universalis quae est consequens sequitur ex tota universali quae est antecedens.

Assumptum arguitur quod<sup>13</sup> quacumque<sup>14</sup> singulari universalis<sup>15</sup> consequentis [sequitur capiatur], illa sequitur ex aliqua [illa] singularis antecedentis: quia sive demonstratur coloratum sive non coloratum, adhuc valet haec consequentia 'hoc coloratum est; ergo hoc est coloratum, et sic de quacumque singulari; igitur et cetera'.

Praeterea: si omne coloratum est, contra: ponatur gratia disputationis quod numquam summe album sit, vel quod numquam album sit. Posito isto, si conceditur quod omne coloratum est, contra: aliquod coloratum non est.

Probo: aliquod album non est; ergo aliquod coloratum non est.

Consequentia probatur: quia arguitur ab inferiori ad suum superius negatione postposita; ergo consequentia bona.

Si dicatur quod repugnat quod album non sit, contra: non repugnat quod nullum summe album sit. Admittatur ergo quod nullum summe album sit, et tunc arguitur ut prius quod album non sit, quia album summum non est; ergo album non est, consequentia haec arguitur ut prius.

Ad sophisma respondetur concedendo.

---

<sup>13</sup> quod *corr.*: quia V

<sup>14</sup> quacumque *corr.* quodcumque V

<sup>15</sup> universalis *corr.* : universali V

Et ad primam consequentiam in oppositum, respondetur negando antecedens.

Et ad probationem, negatur consequentia.

Et si arguitur, ut post dicitur, quod ibi arguitur ab inferiori ad suum superius negatione postposita, huic dicitur quod regula solum intelligitur ubi arguatur a per se inferiori ad per se superius. Et dicitur per se inferius sine quo inferiori non potest esse tale superius, ut quando sic arguitur ‘homo non est; ergo animal non est’, valet consequentia simpliciter, formalis tamen non est. Unde rarissime valet aliqua talis consequentia de forma ubi arguitur ab inferiori ad suum superius negatione postposita, aliquando tamen simpliciter, ut dictum est, valet talis consequentia, dum tamen arguitur a per se inferiori ad per se superius sicut dictum est, sed sic non arguitur in proposito; ergo et cetera.

Ad secundam consequentiam principalem, respondetur negando consequentiam. Unde non sequitur ‘aliquid coloratum non est; ergo non omne coloratum <est>’, <83ra> nec sequitur ‘aliquid coloratum non est; ergo aliquod coloratum non est’. Iste enim terminus ‘aliquid’ non determinatur per hunc terminum ‘coloratum’ tamquam per suum adjectivum, sed uterque terminus tenetur in neutro genere substantivo, et negatur iste terminus ‘coloratum’ ab illo termino ‘aliquid’. Unde haec propositio ‘aliquid coloratum non est’ significat quod aliquid non sit coloratum; et ideo est necessaria propositio. Alius tamen terminus, scilicet ‘aliquod’, non obstante quod sit neutri genere secundum communem modum loquendi, etiam per grammaticam approbatum, non sufficit per se, sed oportet ut sibi adjungatur aliquod determinabile ex eadem parte propositionis, sicut est iste terminus ‘coloratum’, unde haec non est oratio perfecta ‘aliquod est’, sicut haec ‘aliquid est’; igitur et cetera.

Si quaeritur tamen an haec sit concedenda ‘quodlibet quod est asinus est’, respondetur quod ad omnem talem potissima responsio est ipsam primo distinguere secundum compositionem et divisionem. Unde, sicut notum est, ille sensus compositus est verus ‘quodlibet quod est asinus est’, ita quod hoc totum ‘quod est asinus’ sit subjectum; et alius sensus est falsus, iste scilicet ‘quodlibet est aliquid quod est asinus’. Ista propositio tamen ‘quodlibet coloratum est’, ‘quodlibet asinus est’, et sic de talibus statim negandae sunt, quia sunt convertibiles cum propositionibus impossibilibus, sicut apparet per communem modum loquendi.

Ad aliam consequentiam, quando arguitur “omne coloratum est; ergo omne est coloratum”, negetur consequentia.

Et ad probationem, negatur assumptum quod quacumque singulari universalis consequentis data, illa sequitur ex aliqua singulari universalis antecedentis, et dicitur quod nulla est singularis universalis antecedentis nisi in qua demonstratur coloratum, sed infinitae sunt singulares consequentis vel possunt esse in quarum nulla demonstratur coloratum. Ideo ad formam argumenti dicitur quod quaecumque talis consequentia est bona ‘hoc coloratum est; ergo hoc est coloratum’, sed nulla est singularis universalis antecedentis nisi singularis vera. Ideo, demonstrato non colorato, non est illa singularis hujus universalis antecedentis; et ideo argumentum non vadit ad propositum. Sed tamen simpliciter respondendo potest negari haec consequentia ‘quaelibet singularis consequentis infertur ex aliqua singulari antecedentis; igitur consequens sequitur ex illo antecedente’, sicut non sequitur ‘quaelibet singularis talis universalis est vera; igitur illa universalis est vera’, sicut posito quod non forent plures propositiones quam illae duae ‘omnis homo est albus’, ‘iste homo est albus’, demonstrato homine albo, tamen quod sint multi homines nigri, tunc patet quod illa universalis sit falsa significando praecise quod omnis homo est albus. Patet, et tamen quaelibet singularis hujus universalis est vera; sequitur igitur quod non valet haec consequentia ‘quaelibet singularis istius universalis est vera; igitur universalis est vera’. Et sic nec valet ista consequentia ‘quaelibet singularis consequentis sequitur ex aliqua singulari antecedentis; ergo consequens illud sequitur ex illo antecedente’. Oportet enim quod cujuslibet supposito subjecti

correspondeat una singularis sic significans et quod illa universalis significet sicut suae singulares, et sic arguendo erit consequentia bona et antecedens falsum sicut prius argutum est.

Ad aliud, quando arguitur posito quod nullum summe album sit vel quod album non sit, admittatur positio.

Et quando arguitur quod non omne coloratum est, quia album non est, conceditur consequentia et negatur antecedens.

Et quando arguitur antecedens sic: “aliquod album non est; ergo album non est, quia <83rb> summe album non est; ergo aliquod album non est”, huic ultimo respondetur negando consequentiam, quia arguitur ab inferiori ad suum superius per accidens, quia illud superius posset esse illo inferiori non existente; ideo et cetera.

Et si arguitur contra istam consequentiam prius concessam, scilicet ‘album non est; ergo coloratum non est’, probando illam consequentiam non valere, quia sequitur ‘coloratum non est; ergo nihil est coloratum’, quia sequitur ‘coloratum non est; ergo nullum coloratum est’.

Consequentia haec arguitur quia si non valet stabit oppositum consequentis cum antecedente; stabunt ergo ista simul ‘coloratum est’ et ‘aliquod coloratum non est’, sed sequitur ‘coloratum est; ergo omne coloratum est’; ergo a primo ad ultimum, stabunt ista simul ‘omne coloratum est’ et ‘coloratum non est’, quae sunt contradictoria.

Et ista consequentia ‘coloratum est; ergo omne coloratum est’ arguitur sic: si coloratum est; ergo vel unum est omne coloratum vel multa sunt colorata. Si unum sit omne coloratum, sequitur cum illud unum sit quod omne coloratum est; si multa sunt colorata, tunc quodlibet illorum est, et quodlibet coloratum est aliquod illorum; ergo quodlibet coloratum est; ergo a primo ad ultimum sequitur si aliquod coloratum est quod omne coloratum est. Et si sic, igitur ex opposito sequitur eodem modo, scilicet ‘aliquod coloratum non est; ergo nullum coloratum est’, sed non valet haec consequentia ‘aliquod album non est; ergo nullum coloratum est’, quia arguitur ab inferiori ad suum superius negatione postposita.

Huic dicitur, ut prius, quod haec consequentia est bona ‘album non est; ergo coloratum non est’, et etiam illa ‘album non est; ergo nullum coloratum est’, quia si prima valet, secunda valebit, ut probavit argumentum.

Et ad argumentum, quando dicitur quod arguitur ab inferiori ad suum superius negatione postposita<sup>16</sup>; ergo non valet, dicitur negando consequentiam. Illa enim consequentia et quaelibet talis ubi arguitur a per se inferiori ad per se superius negatione postposita<sup>17</sup> est necessaria, quia per medium necessarium potest reduci in syllogismum catheticum vel hypotheticum. Unde sequitur ‘aliquod album non est, omne album est coloratum; ergo aliquod coloratum non est’.

Et si dicitur quod consequentia est bona sed praemissae istae repugnant, huic dicitur quod quantumcumque istae repugnent, tamen ista minor est necessaria, et ideo major est impossibilis, et ideo prima consequentia valet per istam regulam ‘ex impossibili sequitur quodlibet. Et pro tanto dicitur communiter quod non valet talis consequentia de forma, quia oppositum consequentis et antecedens non formaliter includunt contradictoria, et est formaliter includere contradictoria cum hoc non possit distinguere aut distincte imaginari ista stare simul sine repugnantia, quod est falsum fere in omni tali consequentia; et ideo rarissime valet aliquod tale argumentum de forma ubi arguitur ab inferiori ad suum superius cum negatione praeposita vel postposita. Potest enim imaginari satis ista stare simul ‘nullum album est et tamen omne coloratum est’ et etiam ista ‘nullus homo est vel nihil quod est homo est et

---

<sup>16</sup> postposita *corr.*: praeposita V

<sup>17</sup> postposita *corr.*: praeposita V

tamen ‘omne animal est’, verumtamen quia jam non stant simul nec possunt simul stare, sicut numquam stat aliquod impossibile cum aliquo vel aliquibus. Ideo ab utroque illorum ad oppositum alterius conceditur consequentia. Unde sicut prius argutum est, advertendum quod universaliter respectu hujus verbi ‘est’ valet talis consequentia ‘aliquid est; ergo quodlibet est’, ‘aliquid non est; ergo nihil est’, ‘homo est; ergo omnis homo est’, ‘homo non est; ergo nihil quod est homo est’, ‘coloratum est; ergo omne coloratum est’, ‘coloratum non est; ergo nullum coloratum est’, et sic de talibus, et hoc respectu hujus verbi substantivi ‘est’ in praesenti tempore. In praeterito enim vel futuro non valet communiter et de forma hujusmodi <83va> argumentum, licet illa consequentia valeat ‘aliquis homo erit; ergo omnis homo erit’, sed tamen illa est bona, quia tenet per hoc medium necessarium ‘nullus homo potest subito corrumpi’, sed non valet de forma respectu alicujus alterius verbi nisi fuerit convertibile cum hoc verbo ‘est’, ut est hoc verbum ‘existo’ vel aliquod hujusmodi. Unde numquam valet hujusmodi consequentia sicut apparet cuilibet cum verbo adjectivo, unde non sequitur ‘homo currit; ergo omnis homo currit’, nec sequitur ‘aliquis homo non currit; ergo nullus homo currit’. Et ex hoc satis sequitur quod adhuc cum illo verbo substantivo non valet consequentia universaliter nisi hoc verbum ‘est’ praedicet secundum adjacens tantum, ut ponitur in exemplis. Si enim praedicet tertium adjacens non valebit consequentia. Haec enim consequentia non valet ‘homo non est albus; ergo nullus homo est albus’, nec sequitur ‘homo est albus; ergo omnis homo est albus’. Unde sicut non sequitur ‘homo currit; ergo omnis<sup>18</sup> homo currit’, sic nec sequitur ‘homo est currens; ergo omnis homo est currens’, quia istae consequentiae convertuntur, ideo et cetera.

Praeterea arguitur ad sophisma sic: si omne coloratum est; ergo omne album est, et si omne album est, et nullum coloratum incipit esse; ergo nullum album incipit esse’.

Consequentia patet.

Sed arguitur quod non valet haec consequentia. Ponitur enim quod nullum coloratum incipiat esse et quod Socrates incipiat esse albus, ita tamen quod nunc non sit albus nec umquam prius fuisset albus, sed quod jam sit Socrates et per longum tempus ante hoc fuit Socrates et per longum tempus post hoc erit ipse Socrates, tunc, isto posito, arguitur <quod> nullum coloratum incipit esse, et arguitur quod aliquod album incipit esse, quia aliquod album incipit esse Socratem, sed si aliquid incipit esse Socratem, illud incipit esse; ergo et cetera.

Consequentia patet et minor per hoc: quia nihil potest incipere esse Socratem nisi Socrates, sed si Socrates incipiat esse Socratem, Socrates incipit esse, quia non potest esse quod Socrates fuit antequam ipse fuit Socrates; igitur et cetera.

Et arguitur assumptum, scilicet major, quod album incipit esse Socratem: quia nunc nullum album est Socrates, et immediate post hoc aliquod album erit Socrates; ergo aliquod album incipit esse Socratem.

Consequentia arguitur: quia arguitur ex exponentibus ad expositam.

Et antecedens patet per casum.

Consequentia etiam illa sic arguitur: sequitur enim ‘si Socrates non sit albus, et immediate post instans quod est praesens erit Socrates albus; ergo Socrates incipit esse albus’; ergo eadem ratione valebit hoc argumentum ‘nunc nullum album est Socrates, et immediate post hoc aliquod album erit Socrates; ergo aliquod album incipit esse Socrates’. Similiter illa propositio ita vere habet exponi per remotionem de praesenti et positionem de futuro sicut per positionem de praesenti et remotionem de praeterito. Aliter enim non possent tales propositiones verae exponi ‘Socrates incipit moveri’, ‘Socrates incipit tangere aliquem punctum quem non tangit’, ‘Socrates incipit pertransire aliquam partem proportionalem alicujus spacii’. Si ergo istae exponentes de praesenti et de futuro sint verae sic significando,

---

<sup>18</sup> omnis *corr.*: nullus V

sequitur quod illa propositio non est falsa sic significando, scilicet quod aliquod album incipit esse Socrates, et si sic; igitur aliquod album incipit esse Socrates, sicut prius argutum est.

Ideo si dicitur in casu primo quod aliquod album incipit esse Socrates, et etiam aliquod coloratum incipit esse, et quod repugnat quod nullum coloratum incipiat esse, contra: si omne coloratum est, et omne coloratum immediate ante instans quod est praesens fuit; ergo nullum coloratum incipit esse.

Praeterea: non sequitur ex casu quod coloratum quod est Socrates incipit esse Socrates, nec quod aliquod coloratum quod non est Socrates incipiat esse Socrates; ergo ex casu non sequitur quod aliquod coloratum incipit esse Socrates.

Consequentia patet, et antecedens arguitur sic: in casu isto sequitur quod nullum coloratum incipit esse Socrates, quia nihil incipit esse Socrates, quia nec Socrates nec aliud a Socrate quod non est Socrates.

Patet: quia prius fuit Socrates, et jam est Socrates nec quod non est Socrates incipit esse Socrates, quia nihil quod non est Socrates potest esse Socrates, sed nihil quod non potest esse Socrates incipit esse Socrates; ergo nihil quod est Socrates incipit esse Socrates, et ultra; ergo nullum coloratum incipit esse Socrates.

Ideo pro <83vb> isto conceditur quod nullum coloratum incipit esse Socrates nec aliquod album incipit esse Socrates, sed sequitur quod Socrates incipit esse aliquod album.

Et tunc ad argumentum, quando arguitur quod ibi arguitur ab exponentibus ad expositum et cetera, huic dicitur quod non valet consequentia ista ‘nullum album est Socrates, et immediate post instans quod est praesens aliquod album erit Socrates; ergo aliquod album incipit esse Socratem’. Nec sequitur ex hoc antecedente quod Socrates incipit esse albus, sicut potest satis probabiliter sustineri. Non enim sequitur ‘in A instanti aliquod album erit Socrates; ergo in A instanti Socrates erit albus’, sicut non sequitur ‘immediate post hoc aliquod album erit Socrates; igitur immediate post hoc Socrates erit albus seu aliquod album’; ideo et cetera.

Et quando arguitur ‘haec consequentia est bona ‘Socrates non est albus, et immediate post instans quod est praesens erit albus; ergo Socrates incipit esse albus’; ergo eadem ratione erit ista bona ‘nullum album est Socrates, et immediate post instans quod est praesens aliquod album erit Socrates; ergo aliquod album incipit esse Socratem’’, negatur consequentia. Et causa est quare non valet haec secunda consequentia sicut prima, quia in secunda arguitur in terminis communibus positus a parte subjecti, sed in prima arguitur cum terminis discretis sive in propositionibus singularibus. Unde cum terminis universalibus communibus seu particularibus propositionibus talibus non requiritur quod valeat hujusmodi argumentum, aliquando tamen in aliquibus valet hujusmodi consequentia simpliciter, sed hoc non erit nisi gratia terminorum. Sequitur enim ‘nihil quod est homo currit, et immediate post instans quod est praesens aliquid quod est homo currit; ergo aliquid quod est homo incipit currere’, sed illud argumentum solum tenet gratia terminorum. Nam in multis terminis non valet hujusmodi argumentum sic arguendo: nulla pars proportionalis hujus lineae est pertransita, et immediate post instans quod est praesens aliqua pars proportionalis hujus lineae erit pertransita; ergo aliqua pars hujus lineae incipit esse pertransita.

Similiter: non sequitur ‘nullum instans futurum est, sed immediate post instans quod est praesens aliquod instans futurum erit; ergo aliquod instans futurum incipit esse’, et similiter in multis aliis terminis non sequitur. Et ideo si quaeritur qualiter illa propositio ‘aliquod album incipit esse Socrates’ vere debet exponi vel aliqua talis, dicitur quod potest dupliciter exponi vel sic ‘aliquod<sup>19</sup> album est Socrates, et nullum album prius fuit Socrates; ergo aliquod album incipit esse Socrates’ vel sic ‘nullum album est Socrates, nec aliquid quod erit album est Socrates, et immediate post instans quod est praesens Socrates erit aliquod album; igitur

---

<sup>19</sup> aliquod *corr.*: aliquid V

aliquod album incipit esse Socrates'. Sic enim exponendo erit consequentia bona, sed antecedens illud in casu superius posito est repugnans. Et ideo ex primo casu non sequitur quod aliquod album incipit esse Socrates nec quod aliquod coloratum incipit esse, sed sequitur quod nullum coloratum incipit esse Socrates et quod nullum coloratum incipit esse. Supponitur enim in casu illo pro prima particula quod nullum coloratum incipiat esse.

Sed adhuc arguitur quod casus iste claudit opposita, quia si nullum album in casu illo incipiat esse Socrates, et immediate post instans quod est praesens erit ita quod aliquod album est Socrates, sequitur quod immediate post instans quod est praesens erit ita quod aliquod album est Socrates, quod non incipit nec inceptit nec incipiet esse Socrates.

Et consequentia ista arguitur sic: simus enim in instanti medio istius horae gratia argumenti, tunc in isto casu in hoc instanti aliquod album est Socrates, et tamen illud non incipit esse Socrates, quia illud jam est Socrates et illud prius fuit Socrates, nec illud inceptit esse Socrates, quia non in A instanti et sit A primum instans istius horae cujus est hoc instans medium in quo instanti non fuit Socrates albus, sed ante quod fuit niger, et tunc arguitur <84ra> sic: non in A illud album inceptit esse Socrates, nec ante nec post; ergo et cetera.

Quod non in A patet ex illa responsione data.

Et quod ante A instans non inceptit illud album esse<sup>20</sup> Socrates arguitur: quia tunc sequitur, ut apparet, quod illud album inceptit esse per magnum tempus antequam illud fuit, quod est impossibile.

Consequentia arguitur sic: illud album inceptit esse ante A, sed numquam ante A fuit illud album; ergo illud album inceptit esse antequam ipsum fuit, sed ipsum non inceptit esse immediate ante A; igitur et cetera. Et si sic, sequitur conclusio, scilicet quod illud inceptit esse per magnum tempus antequam ipsum fuit, quod est impossibile.

Similiter: nec post A inceptit illud album esse, quia in nullo instanti post A, quia in quolibet instanti post A fuit illud album; ergo numquam post A inceptit illud esse, et si sic; ergo numquam inceptit esse, quod est impossibile, cum sit postquam non fuit.

Praeterea arguitur quod in A instanti illud album inceptit esse Socrates: quia tunc inceptit esse ita quod illud album est Socrates, quia tunc inceptit illa propositio esse vera 'album est Socrates', quia immediate post A illa fuit vera nec in A nec ante A; ergo et cetera.

Similiter: Socrates prius fuit quam album illud fuit, et per nullum tempus vel per instans Socrates fuit prius quam fuit illud album nisi per totum tempus in quo Socrates fuit ante A; ergo in A inceptit illud album esse Socrates.

Ad argumenta respondetur.

Ad primum, quando arguitur quod ex illa responsione sequitur quod aliquod album est Socrates quod numquam inceptit esse Socrates, negetur conclusio.

Et ad argumentum, dicitur quod illud album inceptit esse Socrates, et hoc in eodem instanti in quo Socrates inceptit esse Socrates.

Quod arguitur sic: sit C illud instans in quo Socrates inceptit esse, tunc arguitur sic: omne quod est Socrates inceptit esse Socrates in C instanti, hoc album est aliquid quod est Socrates; ergo hoc album inceptit in C instanti esse Socrates. Consequentia patet, et etiam antecedens; ergo et cetera.

Et tunc ad argumentum contra responsionem, quando arguitur quod illud album numquam fuit ante A, negetur illa propositio.

Et quando arguitur "numquam ante A fuit illud album; ergo illud album numquam fuit ante A", negetur consequentia, quia illud album fuit ante A non fuit album ante A.

Et ad aliud argumentum, quando arguitur quod in A instanti inceptit ita esse quod aliquod album est Socrates, conceditur.

---

<sup>20</sup> esse *corr.*: est V

Et ultra, quando arguitur quod aliquod album incepit in A instanti esse Socrates, negetur consequentia.

Et ad argumentum, quando arguitur quod Socrates prius fuit quam fuit illud album, conceditur ista, sed negetur illa quod Socrates prius fuit quam illud album fuit, quia illud album fuit ita cito sicut Socrates fuit, sed illud non fuit album ita cito sicut Socrates fuit.

Et ad argumentum, si arguitur sic: Socrates fuit in C instanti, sed in C instanti non fuit illud album etiam per magnum tempus post C quando Socrates fuit non fuit illud album; ergo prius fuit Socrates quam illud album fuit, dicitur quod non valet consequentia, sed sequitur quod prius fuit Socrates quam fuit illud album. Contra: tunc sequitur illa conclusio quod quandocumque Socrates fuit illud, album fuit, et e contra, et aliquando fuit Socrates quando non fuit illud album, conceditur, et sequitur quod in aliquo instanti sicut in C instanti album incepit esse, et tamen tunc fuit ita quod nullum album incipit esse Socrates; huic dicitur quod illa conclusio satis probabiliter potest negari eodem modo sicut dicitur quod quando Socrates desinet esse Socrates, tunc erit ita quod aliquid desinit esse Socrates, et quod homo desinit esse Socrates, et quod motus incipit esse, et sic de aliis. Et si conceditur quod in casu isto posito in C instanti fuit ita quod aliquod album incipit esse Socrates, quamvis Socrates tunc non incepit esse albus, et quamvis tunc nihil incepit esse album, tamen tunc fuit ita quod album incepit esse et incipit esse Socrates, quia tunc fuit ita quod album quod erit incipit esse Socrates et incipit esse, sicut quando aliquid desinit esse Socrates, certum est <84rb> quod nihil quod est nec aliquid quod erit desinit esse Socrates, sed aliquid quod fuit desinit esse Socrates, et etiam desinit esse, et sic de aliis.

Posset tamen concedi conclusio et probabilius, illa scilicet quod album incepit esse Socrates quando fuit ita quod nullum album incipit esse Socrates. Sed tunc sequitur quod non est possibile quod homo desinat esse nec quod motus incipiat esse, nec breviter quod aliquid desinat esse, cujus non est dare ultimum intrinsecum, ut sunt 'homo', 'motus', 'tempus' et sic de aliis, et quod non est possibile quod aliquid incipiat esse cujus non est dare primum intrinsecum sui esse, ut motus et tempus et sic de aliis, quae omnia possunt probabiliter sustineri.

Quod enim illa sequuntur arguitur sic: quia si sit possibile quod homo desinat esse, ponatur et arguitur quod non, quia necesse est quod omnis homo sit; ergo nihil quod est homo desinit esse homo. Sed per istam responsionem sequitur 'nihil quod est homo desinit esse homo; igitur nihil desinit esse homo', et si sic, sequitur quod non est ita quod homo desinat esse.

Quod autem illa consequentia sit bona 'nihil quod est homo desinit esse homo; ergo nihil desinit esse homo' patet per istam responsionem, quia ipsa ponit quod si aliquid desinat esse homo, illud est, sed nullo modo est possibile quod homo qui est desinat esse, et sicut arguitur de isto potest argui de omnibus aliis prius tactis; ideo et cetera.

Praeterea arguitur ad sophisma sic, probando quod non omne coloratum est: quia aliquod coloratum apparens non est; igitur et cetera.

Antecedens arguitur: quia apparens coloratum non est; ergo aliquod coloratum apparens non est.

Consequentia arguitur: quia quicquid est apparens coloratum est aliquod coloratum apparens; igitur et cetera.

Similiter: aliqua duo apparent summe alba quorum unum altero eorundem apparet albius eidem; ergo neutrum coloratum est, sed utrumque illorum est apparens coloratum; ergo aliquod apparens coloratum non est.

Antecedens primi argumenti sic arguitur: ponatur quod per totam istam horam incipientem a praesenti instanti appareat tibi A et B esse summe alba, et quod A continue per totam istam horam apparebit tibi albius quam prius apparuerit, ita quod per totam eandem horam apparebit tibi quod A est albius quam tibi prius apparuerit. Et si hoc negetur esse compossibile casui,



ponatur quod continue per eandem horam apparebit tibi quod A est albius quam prius ipsum fuit, et quod B continue appareat ita album sicut prius, sic quod B numquam apparebit aliquo modo variari. Isto posito, arguitur primum antecedens secundi argumenti, scilicet quod aliqua duo apparent summe alba quorum uno altero eorundem apparet albius, et hoc quia in casu illo A apparet summe album et B apparet summe album, et hoc respectu tui, ut supponitur, et A apparet albius B.

Probatur: quia in principio A apparuit ita album praecise sicut B apparuit, et e contra, sed continue post primum instans istius horae apparuit tibi A intendi ultra gradum quem prius habuit in principio, et B continue apparuit ita album praecise sicut ipsum apparuit in principio; ergo A continue post primum instans istius horae apparuit albius B. Sequitur enim 'A est albius quam ipsum fuit in principio hujus horae, et A et B in principio hujus horae fuerunt aequaliter alba omnino, et B est ita album praecise sicut ipsum fuit in principio; ergo A est albius B'. Arguitur tunc sic: haec consequentia est bona scita a te esse bona, et antecedens apparet tibi verum, et apparet tibi, immo bene scis, quod ex nullo vero sequitur falsum; ergo consequens apparet tibi verum; ergo apparet tibi quod A est albius B. Ponitur enim gratia exempli quod jam fit medium instans totius horae, et arguitur pro illo instanti medio.

Similiter sic: A est albius quam prius fuit, sed A et B in principio fuerunt aequaliter alba omnino; ergo A est albius quam prius fuit B.

Ista consequentia est bona scita a te esse bona, et antecedens apparet tibi esse verum; ergo et consequens.

Ideo si dicatur quod casus non est possibilis, contra: prima pars est satis possibilis, scilicet quod A et B continue appareant tibi summe alba.

Probatur quod secunda pars sit compossibilis primae, et hoc sic: ponitur <84va> enim quod A et B jam appareant tibi summe alba, et quod continue post hoc appareat tibi quod A sit summe album et quod A numquam ante hoc apparuerit tibi summe album, nec umquam<sup>21</sup> fuit summe album, et quod continue appareat tibi quod A sit albius quam prius fuit.

Quod illud sit possibile arguitur sic: quia possibile est quod appareat tibi summe album et albius quam prius fuit. Sed qualitercumque potest tibi apparere de aliquo, sic per tempus potest apparere de eodem, quia potest tibi apparere quod continue manet idem tempus praecise. Per tempus enim potest tibi apparere quod hoc est et quod hoc non fuit, demonstrato aliquo eodem; igitur et cetera. Ideo admitto totum casum sive ponatur ista particula quae relicta fuit tamquam dubia, sive alia.

Ad argumentum, quando arguitur quod A apparet albius B, negetur.

Et ad utrumque argumentum, dicitur concedendo consequentiam et negando antecedens, quia neutrius consequentiae apparet antecedens verum in casu illo, quia non apparet quod A et B in principio fuerunt aequaliter alba. Apparet enim quod B in principio fuerit summe album et quod A in principio non fuerit summe album; ideo apparet quod A et B in principio non fuerint aequaliter alba.

Et si arguitur contra hoc: si A et B in principio apparuerunt<sup>22</sup> summe alba; ergo tunc apparuerunt aequaliter alba, huic dicitur quod haec consequentia non valet, nec ex illo antecedente sequitur quod apparet quod A et B fuerint aequaliter alba, quia non sequitur 'A et B tunc apparuerunt aequaliter alba; ergo apparet quod A et B fuerunt<sup>23</sup> tunc aequaliter alba'.

Sed si arguitur ex alia parte sic quod A apparet albius B, et etiam quod A apparet albius summe albo, quia si apparet esse albius quam prius apparuit, et ipsum prius apparuit summe album; ergo A apparet albius summe albo; item sic: si A apparet albius quam ipsum prius apparuit, et prius apparuit ita album sicut apparet B; ergo A apparet albius quam apparet B,

---

<sup>21</sup> umquam *corr.*: numquam V

<sup>22</sup> apparuerunt *corr.*: apparere V

<sup>23</sup> fuerunt *corr.*: fuere V

sed B per casum apparet summe album; igitur et cetera; huic dicitur quod cum casu stat multum bene quod A apparet albius quam prius apparuerit.

Et tunc ad argumentum respondetur simul negando utramque consequentiam factam. Ponatur enim, sicut prius ponebatur in declarando casum, quod apparet tibi quod A numquam apparuerit summe album sed remisse album. Sis enim nunc oblitus qualiter tibi apparuerit de A, tunc sic non valet haec consequentia ‘apparet tibi quod A sit albius quam umquam tibi apparuerit, et A apparuit summe album prius; ergo A jam apparet albius quam summe album’, sic non valet consequentia prius facta ‘A apparet albius quam prius apparuerit, et prius apparuit summe album; ergo prius apparuit albius summe albo’. Si tamen sic arguitur: A apparet albius tibi quam prius apparuit, et bene scis quod A prius apparuit tibi summe album; ergo A apparet albius summe albo, bene valeret consequentia, sed antecedens tunc foret impossibile et includens opposita. Si etiam arguitur sic: A apparet albius quam umquam prius apparuerit, et aliquando A prius apparuit summe album; igitur A apparet albius quam apparuerit A tunc quando apparuit summe album, negetur consequentia.

Etiam si arguitur quod fundamentum istius propositionis non valet, quia consequentia super quam fundatur illa responsio non valet, quia haec consequentia non valet ‘apparet tibi quod A sit albius quam A prius apparuerit; ergo A apparet tibi albius quam prius apparuerit’, ad hoc respondeo dicendo quod veritas est quod haec consequentia non valet. Posset enim esse quod apparet tibi quod A esset albius quam prius apparuerit, quamvis A non foret vel fuisset, sed si A apparet sic esse vel sic, oportet quod A sit.

Sed ulterius dicitur quod illa responsio non fundatur super illam consequentiam sed super unam regulam necessariam et hanc consequentiam, scilicet ‘hoc apparet tibi prius apparuisse album, et apparet tibi quod hoc sit albius quam <84vb> illud prius apparuerit; ergo hoc apparet tibi albius quam ipsum prius apparuerit, demonstrato A’. Et ulterius fundatur ista responsio super hanc regulam ‘quicquid sequitur ad consequens sequitur ad antecedens’, sic arguendo ‘si ad hoc consequens A apparet albius quam prius apparuerit et cetera, sequitur quod A apparet albius summe albo; ergo ad hoc antecedens, scilicet ‘hoc apparet tibi prius apparuisse summe album, demonstrato A’, sequitur quod apparet tibi albius summe albo’, consequens falsum. Sicut enim apparet manifeste, ista consequentia non valet ‘hoc apparet prius apparuisse album, et apparet quod hoc sit albius quam ipsum prius apparuit; ergo hoc apparet esse albius summe albo’; et ideo quia non valet haec consequentia, a primo ad ultimum, dicitur quod non valet illa consequentia, et sic fundatur illa responsio superius posita.

Et ex hac responsione patet pro parte responsio ad primam consequentiam factam ad introductionem hujus argumenti, scilicet quando arguitur quod aliquod coloratum non est, quia aliquod apparens coloratum non est; ergo aliquod coloratum apparens non est. Huic dicitur quod non valet ista consequentia nisi sicut ex impossibili sequitur quodlibet. Antecedens enim est impossibile, scilicet aliquod apparens coloratum non est. Significat enim quod aliquid<sup>24</sup> quod apparet coloratum non est, et hoc est impossibile. Posset tamen antecedens sophisticè sic sustineri ‘aliquod apparens coloratum non est’, sicut conceditur illa ‘aliquod coloratum non est’, quia aliquid non est coloratum, sic posset dici ex parte illa, scilicet quod aliquid apparens coloratum non est, quia aliquid apparens non est coloratum, sed sive sic capiatur antecedens sive ut prius adhuc non valet consequentia, nisi modo dicto.

Sed contra hoc quod dicitur, scilicet quod illud antecedens est impossibile prout significat primo modo et sicut significat in rei veritate, scilicet quod aliquod apparens coloratum non est, arguitur sic: ponatur quod Socrates aliquando apparuerit tibi currere vel aliud, et quod jam tibi apparet quod ita est de Socrate omnino sicut tibi prius apparuit de Socrate, tunc arguitur sic: Socrates tunc apparuit tibi currere, et jam apparet tibi de Socrate omnino sicut tunc

---

<sup>24</sup> aliquid *corr.*: aliquid V

apparuit tibi; igitur jam Socrates apparet tibi currere, et tamen Socrates non est; ergo aliud apparens non est; huic dicitur, ut prius, quod si aliquid apparet, illud est.

Et tunc ad argumentum factum, negetur consequentia. Unde non sequitur 'apparet mihi quod Socrates currit; ergo Socrates apparet currere'. Ad hoc enim quod Socrates appareat mihi currere, requiritur quod aliquam sensationem habeam de Socrate, scilicet vel audiam vel tangam vel videam eum. Sed ad hoc quod sentiam eum sequitur quod ipse sit, et sic de aliis; sequitur ergo a primo quod si Socrates apparet alicui, ipse est; sequitur ergo, a primo ad ultimum, 'si Socrates apparet; ergo Socrates est', et sic arguitur de quolibet alio; ergo et cetera.

## <Tertium sophisma>

### <Omnis homo est totum in quantitate>

<85va> Omnis homo est totum in quantitate.

Probatur sic: omnis homo est in quantitate, sed nullus est homo in quantitate qui non est aliquod totum in eadem quantitate; igitur et cetera.

Assumptum probatur: quia omnis homo est in loco, omnis locus est in quantitate; ergo et cetera.

Similiter: nullus homo est homo in aliqua quantitate qui non est aliquod totum in eadem quantitate, quia quaelibet talis est aliquis totus homo in aliqua quantitate; ergo et cetera.

Si conceditur sophisma sicut est concedendum, contra: aliquis <85vb> homo in quantitate non est.

Probatur: quia Socrates in aliqua quantitate non est, quia in quantitate oculi sui non est Socrates, et Socrates est aliquis homo; igitur et cetera.

Similiter: aliquis homo non est in quantitate; ergo et cetera.

Antecedens probo: ex tibi dubio aliquis homo non est in loco aliquo; ergo et cetera.

Antecedens probatur: ponatur quod, sicut forte est verum ex tibi dubio, [quod] aliquis homo partim sit in aqua et partim sit in aere, sic quod sit una ejus medietas in aqua et alia in aere, tunc iste homo non est in aliquo loco, quia omnis locus est superficies corporis continentis locatum, sed nullum est corpus continens illum hominem; igitur et cetera. Assumptum apparet ex casu. Arguitur tunc sic: ille homo non est in loco; ergo non est in quantitate.

Consequentia apparet: quia non potest esse in alia quantitate quam in loco, vel saltem non est possibile quod sit in quantitate nisi sit in loco; ergo si non sit in loco, non est in quantitate.

Praeterea: si omnis homo est totum in quantitate; ergo totum quod est in quantitate est homo, et, eadem ratione, sequitur quod totum quod est in Anglia vel quod est in mundo est in oculo tuo. Et tunc arguitur sic: nihil quod est in oculo tuo est extra oculum tuum, sed totum quod est in mundo est in oculo tuo; ergo nihil quod est in mundo est extra oculum tuum; ergo oculus tuus est totus mundus.

Praeterea: si omnis homo est totum in quantitate; ergo omnis homo est aliquod compositum ex omnibus suis partibus in quantitate, vel omnis homo est quaelibet pars alicujus hominis in quantitate.

Consequentia apparet: quia arguitur hic ad unam disjunctivam convertibilem cum illo antecedente, quia in illo antecedente vel 'totum' tenetur sincategorematicè vel categorematicè, sed sive sic teneatur sive sic, aliqua pars istius disjunctivae exponit illud antecedens; igitur et cetera. Sed quaelibet pars illius disjunctivae est falsa; igitur et antecedens.

Assumptum arguitur: secunda pars enim est manifeste falsa.

Et arguitur quod prima sit falsa, haec scilicet 'omnis homo est aliquod compositum ex omnibus suis partibus in quantitate': quia sequitur 'omnis homo est aliquod compositum ex omnibus suis partibus in quantitate; ergo omnis homo est compositum ex omnibus partibus alicujus compositi in quantitate vel omnis homo est compositum ex omnibus partibus alicujus hominis in quantitate', sed utraque pars consequentis est falsa; ergo et antecedens.

Consequentia arguitur sic: quia iste terminus 'suis' est terminus relativus nec potest ibi aliquid referre nisi istum terminum 'compositum' vel istum terminum 'homo', sed sive referat unum terminum illorum sive reliquum, sequitur quod illa consequentia est bona; ergo et cetera.

Ad haec respondetur primo ad primum negando hanc consequentiam 'aliquis homo in quantitate non est; ergo non omnis homo est in quantitate', sicut non sequitur 'aliquis homo

aliquid non est; ergo non omnis homo est aliquid'. Verumtamen ista propositio posset distingui eo quod posset habere talem sensum 'aliquis homo in quantitate non est', idest 'aliquis homo qui in quantitate est homo non est', vel talem 'in aliqua quantitate homo non est', istorum sensuum primus est impossibilis, et secundus est necessarius. Ideo forte negarent quidam illam propositionem simpliciter dando sibi primum sensum impossibilem, et aliqui concedunt illam simpliciter dando sibi secundum sensum necessarium. Et ita potest satis probabiliter concedi, quia de communi modo loquendi sic significant tales propositiones, sicut prius dicebatur in sophisma praecedenti, ut 'aliquis homo aliquid non est', 'aliquid coloratum non est', 'aliquis homo denarium non habet', licet omnis homo habeat denarium et aliquis homo caput non habet. Unde sicut conceditur quod omnis homo caput non habet, et tamen omnis homo habet caput, sic conceditur hic quod omnis homo est in quantitate, et tamen <86ra> aliquis homo in quantitate non est; sed ex hoc non sequitur 'ergo non omnis homo in quantitate est', nec sequitur quod non omnis homo est totum in quantitate.

Ad aliud, quando arguitur quod aliquis homo non est in loco; ergo nec in quantitate, huic dicitur quod illa consequentia solum tenet gratia materiae et est bona simpliciter, non tamen formaliter, quia arguitur ab inferiori ad suum superius negatione praeposita.

Sed ad antecedens, respondetur negando.

Et ad casum, quando ponitur quod sit aliquis homo qui partim sit in aqua et partim in aere, scilicet cujus una medietas sit in aqua et alia in aere, admittatur, et dicitur quod ex illo non sequitur quin ille homo sit in loco, cum sit in aere et in igne et in caelo, et sic de aliis. Est enim in quolibet illorum, sicut homo est in domo, licet domus non sit locus adaequatus alicujus hominis, sicut nec aer, nec ignis vel caelum est locus adaequatus hominis istius.

Et ulterius, quando arguitur quod nullum est ultimum corporis continentis illum hominem, sed omnis locus est hujusmodi; ergo et cetera, huic dicitur quod cujuslibet corporis continentis istum hominem aliquid est ultimum, immo infinita sunt ultima cujuslibet corporis continentis ipsum, et ita ipse est in aliquo ultimo corporis eum continentis, licet non in quolibet ultimo illius, quare et cetera.

Ad aliud, quando arguitur quod omnis homo est aliquod compositum ex omnibus suis partibus; igitur omnis homo est compositus ex omnibus partibus alicujus compositi vel omnis homo est aliquod compositum ex omnibus partibus alicujus hominis, dicitur negando consequentiam.

Et quando arguitur quod sic habet referre hoc relativum 'suis', dicitur quod non, sed solum sequitur quod omnis homo est aliquod compositum ex alicujus hominis omnibus partibus vel omnis homo est compositus ex alicujus compositi aliquibus partibus, ita quod semper in tali consequente praecedat iste terminus 'alicujus' vel 'aliquibus' istum terminum 'omnibus'. Et tunc non sequitur aliquod inconueniens. Etiam dicitur ulterius quod illae consequentiae omnes solummodo sunt materiales et bonae simpliciter, non tamen bonae et formales. Non enim sequitur si aliquid sit totum quod ipsum sit compositum, quia non sequitur si anima tua sit totum quod anima tua sit composita, et sic de aliis non sequitur 'in anima est tota scientia quam Socrates habet; ergo illa scientia est composita'. Et ideo quod superius arguebatur de homine solum tenet gratia terminorum, non gratia modi arguendi seu gratia formae.

Ad aliud etiam, quando arguitur quod in oculo tuo est totum quod est in mundo, etiam quod oculus tuus est totum quod est in mundo, et ultra quod oculus tuus est totus mundus, dicitur quod illud ultimum non sequitur, sed omnia prius dicta sunt vera, scilicet quod in oculo tuo est totum quod est mundo, et quod oculus tuus est totum quod deus aliquando fecit, et sic de aliis. Et nec ex illis, nec ex aliqua istarum sequitur aliquod inconueniens, quoniam sicut est

verum quod oculus tuus est aliquod totum quod est in mundo, sic est verum quod oculus tuus est totum quod est in mundo.

Et si arguitur ulterius quod oculus tuus est quodlibet quod est mundo, dicitur quod non valet consequentia.

Et si tunc arguitur, contra: accipiendo istum terminum 'totum' sincategorematicè illa consequentia est bona, sed ex tibi dubio ita accipitur ibi ille terminus; igitur et cetera, huic dicitur quod ibi non accipitur, nec dubitatur an ibi sic accipiatur iste terminus 'totum'. Utrum tamen sic accipiatur vel non de virtute sermonis haberet ipse respondens dubitare, sed hic non habet concedere quod jam ipse dubitat, quia de communi modo loquendi sic acceptus solum categorèmaticè accipitur. Unde universaliter iste terminus 'totum' positus a parte praedicati accipitur categorèmaticè, vel sic deberet accipi iste terminus 'totum' sic positus solum categorèmaticè nisi de novo significet aliter quam prius, et eodem modo omnes tales termini duplices, sicut isti termini 'omnia', 'infinita' et sic de talibus. Unde haec est vera 'infinita sunt finita', sed haec est simpliciter falsa 'finita sunt infinita', et haec est vera 'omnia compossibilia istorum sunt aliqua istorum', et tamen haec est falsa 'aliqua istorum sunt omnia compossibilia istorum'. Et causa utriusque est quod in una propositione iste terminus 'omnia' tenetur sincategorematicè, et est propositio universalis, et eodem modo iste terminus 'infinita'. In alia tamen propositione falsa, iste terminus 'omnia' tenetur categorèmaticè, et eodem modo iste terminus 'infinita' tenetur categorèmaticè in ista propositione falsa, scilicet 'finita sunt infinita'. Et est terminus teneri sincategorematicè sic pro omnibus suis suppositis supponere, ut per illam suppositionem non contingat illum terminum praedicari de aliquo vel aliquibus suis suppositis, sicut cum dicitur 'infinita sunt finita'. Notum est quod iste terminus 'infinita' supponit pro finitis, quia pro duobus, tribus et quattuor et sic in infinitum, et tamen propter illam suppositionem non contingit illum terminum 'infinita' praedicari de aliquibus illorum, quia non sequitur 'infinita sunt finita; ergo ista finita sunt infinita vel ista finita sunt infinita'. Et eodem modo est de aliis talibus terminis duplicibus, quia aliquando tenentur categorèmaticè et aliquando sincategorematicè, quod semper a parte praedicati debent teneri categorèmaticè et a parte subjecti sincategorematicè, nisi limitentur ad certam significationem a parte subjecti, sed propter nullam limitationem debent illi termini teneri a parte praedicati sincategorematicè. Unde quantumcumque supponitur iste terminus 'infinita' teneatur sincategorematicè in ista propositione 'finita sunt infinita', numquam propter hoc tamen est concedenda illa propositio, sicut ista 'infinita sunt infinita', quia vel omnino habebit significationem extraneam, vel iste terminus ibi tenebitur categorèmaticè, et sic est propositio impossibilis. Verumtamen ita non est per omnia de isto termino 'totum': posset enim tam a parte subjecti quam a parte praedicati teneri categorèmaticè vel sincategorematicè indifferenter. Unde haec concedi potest 'totum quod est in mundo est in oculo tuo', sicut conceditur ista 'in oculo tuo est totum quod est in mundo'.

Et negatur consequentia ulterius cum arguitur "igitur in oculo est quicquid est in mundo".

Et quando dicitur "tu dubitas an iste terminus 'totum' teneatur sincategorematicè", ad hoc respondeo aliter quam prius concedendo quod dubito.

Et ultra si arguitur quod dubito an illa propositio sit vera, concedo, sed non propter hoc volo respondere dubie ad ipsam, quia in rei veritate quacumque propositione habita in voce vel in scripto dubito an illa sit vera de virtute sermonis, tamen multas concederem tales, et non quia scio istas esse veras, sed quia de communi modo loquendi ipsae vel sibi similes significant praecise sicut est, sicut fuit dictum superius in primo sophismate. Unde haec responsio jam dicta est verior quam prima, quia magis vadit ad veritatem sermonis, et prima acutior pro sophista.

Praeterea: si omnis homo est totum in quantitate, et Socrates est homo; ergo Socrates est totum in quantitate.

Et arguitur quod non: quia Socrates non est quantus; igitur et cetera.

Assumptum arguitur: quia Socrates non est tantus praecise quanta est aliqua pars sui, nec minor aliqua parte sui, nec major aliqua parte sui; ergo Socrates non est quantus.

Consequentia patet, et antecedens arguitur: quia Socrates non est tantus praecise quanta est aliqua pars sui — quia tunc foret aequalis alicui suae parti, quod est contra illud principium ‘omne totum est major sua parte’ —, nec Socrates est minor aliqua sui parte, a fortiori nec Socrates est major aliqua sui parte — quia si sic; ergo Socrates est major quam est aliqua pars Socratis.

Et arguitur quod non, quia Socrates foret major quam totum suum corpus [Socratis], quod est falsum.

Similiter: Socrates tunc foret major quam haec pars Socratis, et quam ista, et sic de aliis; et sic ergo foret major quam omnes partes Socratis, consequens est falsum et impossibile.

Similiter: si Socrates foret major aliqua sui parte, et omne quod alio est majus excedit illud quo est majus per aliquem excessum; <86va> ergo per aliquem excessum Socrates foret major sui parte, consequens est falsum, ut patet intuitu: quia, quocumque excessu dato, per illum excessum non est major aliqua sui parte, quia capiatur ille excessum et totum residuum et signetur compositum ex isto residuo et medietate istius excessus, tunc notum est quod non est major ista parte per totum illum excessum.

Ad haec respondetur negando illam consequentiam de forma ‘Socrates non est tantus praecise quanta est aliqua pars sui nec minor aliqua parte nec major; ergo non est quantus’, sicut non sequitur ‘Socrates non est tantus praecise quantus est aliquis homo nec minor aliquo homine nec major aliquo homine; ergo non est quantus’: quia antecedens est verum et consequens falsum. Verumtamen ista consequentia prior est bona simpliciter: quia necessarium est quod si Socrates sit, ipse sit tantus praecise quanta est aliqua pars sui, quia est necessarium quod sit tantus quantum est corpus suum et non minor corpore suo nec major; et ideo est tantus quanta est aliqua pars sui [et] nec est major nec minor quam aliqua pars sui, sed praecise tantus et cetera.

Et tunc ad argumentum, quando arguitur quod ex hoc sequitur quod pars et totum cujus est pars sint aequalia, conceditur.

Et ultra, quando allegatur quod omne totum est majus sua parte tamquam principium, dicitur quod intelligitur sic quod omne totum continuum sua parte est majus, vel denotatur per hanc quod quocumque toto continuo dato illius aliqua parte est ipsum totum continuum majus vel potest glosari sic: omne totum est majus sua parte quantitativa. Supra quod est advertendum quod duplex est pars, scilicet quantitativa et qualitativa. Pars qualitativa est materia propinqua maxima vel materia prima maxima vel forma ultima cujus ipsa est pars. Pars quantitativa est illa quae componitur ex parte materiae et ex parte formae extensae, vel quae est pars materiae vel pars formae extensae. Unde sic loquendo de parte quantitativa, conceditur quod omne totum est majus sua parte, scilicet quantitativa. Et tunc si arguitur ut prius contra istam responsionem concludendo quod totum foret majus quam omnes suae partes quantitativae, dicitur quod hoc non sequitur, unde ista consequentia non valet ‘hoc totum est majus sua parte quantitativa; ergo hoc totum est majus ista parte, et ista parte sui quantitativa, et sic de aliis’. Arguitur enim ibi ad unam propositionem de copulato extremo ubi deberet argui ad unam copulativam; unde ista consequentia est bona ‘hoc totum est majus sua parte quantitativa, et ista est pars quantitativa istius; igitur hoc totum est majus illa parte’ et ‘hoc totum est majus sua parte quantitativa, et haec est pars quantitativa hujus; ergo hoc totum est majus ista’, et sic de singulis copulative. Copulativam tamen seu conjunctivam non valet consequentia. Et si

quaeritur qualiter debeat fieri descensus per unam propositionem tantum, dicitur quod iste descensus tunc fiet per hanc notam disjunctionis ‘vel’ sic arguendo ‘hoc totum est majus aliqua sui parte; ergo vel hac vel hac, et sic de singulis.

Et tunc quando arguitur quod omne quod est altero majus excedit illud per aliquem excessum; ergo si Socrates sit major quam aliqua pars quantitativa sui per aliquem excessum, est major quam aliqua pars quantitativa sui, huic potest responderi dupliciter, vel negando consequentiam vel concedendo eam. Unde ad virtutem sermonis potest concedi illa consequentia et antecedens et consequens, dicendo quod totus Socrates est unus excessus, et per illum excessum Socrates est major quam aliqua pars quantitativa sui, quia per seipsum Socrates est major et cetera. Sed haec responsio non vadit ad argumentum nec ad intellectum argumenti; ideo non valet nisi ad standum in verbis omnino. Et ideo respondendo bene ad argumentum, negatur consequentia: quia antecedens est verum et consequens falsum, sicut non sequitur ‘omni numero finito est aliquis numerus finitus major per aliquem excessum; ergo per <ali>quem excessum est aliquis numerus finitus <est> major omni numero finito’, et etiam non sequitur ‘Socrates est major quam ipse prius fuit; ergo per aliquem excessum Socrates est major quam ipse prius fuit’.

Contra tamen illud <86vb> quod dicitur quod Socrates est major quam aliqua pars quantitativa sui, arguitur sic: si aliquid sit cujus quaelibet pars quantitativa est aequalis alicui parti quantitativae Socratis et e contra, illud est aequale Socrati, sed quaelibet pars quantitativa alicujus partis quantitativae Socratis est aequalis alicui parti quantitativae Socratis et e contra; ergo Socrates est aequalis alicui parti quantitativae Socratis.

Consequentia patet: quia sit iste terminus ‘A’ convertibilis cum isto termino ‘pars quantitativa Socratis’, tunc arguitur sic: quaelibet pars quantitativa A est aequalis alicui parti quantitativae Socratis, et quaelibet pars quantitativa Socratis est aequalis alicui parti A; igitur Socrates et A sunt aequales.

Consequentia haec patet per primam regulam, scilicet ‘si aliquid sit cujus quaelibet pars quantitativa sit aequalis alicui parti quantitativae Socratis et e contra, illud et Socrates sunt aequalia’, sed A est hujusmodi; ergo A et Socrates sunt aequalia. Huic dicitur quod illa prima consequentia est bona, haec scilicet ‘si aliquid sit cujus et cetera’.

Et ultra, quando arguitur quod A est hujusmodi, dicitur negando illam, quia nullum A est hujusmodi, sicut manifeste apparet intuenti.

Et ad argumentum, quando arguitur “quaelibet pars quantitativa A est aequalis alicui parti quantitativae Socratis et e contra; igitur A est hujusmodi”, negetur consequentia. Ad hoc enim quod valeret consequentia illa, requeretur quod iste terminus ‘A’ foret terminus discretus vel quod non haberet infinita supposita. Sed quia neutrum est verum in proposito; ideo non valet consequentia facta; igitur et cetera.

Praeterea: arguitur quod Socrates non est major aliqua parte quantitativa sui, quia tunc eadem ratione sequeretur quod Socrates fuit major quam aliqua sui pars quantitativa. Causa enim quare ponitur quod Socrates est major quam aliqua pars quantitativa sui est haec scilicet quod Socrates est magnus et aliqua pars quantitativa sui est magna et nulla est tanta sicut Socrates; ideo Socrates est major quam aliqua pars quantitativa sui. Sed sic consimiliter arguitur: si Socrates fuit, tunc ipse fuit magnus et etiam pars quantitativa Socratis fuit magna, et nulla fuit ita magna sicut fuit Socrates; ergo Socrates fuit major quam fuit aliqua pars quantitativa sui; ideo forte conceditur consequens sicut est concedendum.

Et arguitur quod consequens sit falsum, posito quod Socrates fuerit continue augmentatus per aliquod tempus terminatum ad hoc instans praesens, tunc, isto posito, arguitur quod Socrates non fuit major quam fuit aliqua pars quantitativa sui, quia quacumque quantitate data quam



Socrates habuit aequalem et majorem illa habuit aliqua pars quantitativa Socratis; ergo non major fuit Socrates quam fuit aliqua pars quantitativa sui.

Probo: quia non majorem quantitatem Socrates habuit quam aliqua pars sui; igitur et cetera.

Consequentia apparet, et antecedens arguitur: quia quacumque quantitate data quam Socrates habuit ante hoc instans, tantam habuit aliqua pars; igitur et cetera— quia si non, detur aliqua quantitas quam Socrates habuit ante hoc <instans> quantam non habuit aliqua pars quantitativa Socratis, et quacumque detur sit ista A, et arguitur tunc quod tantam quantitatem habuit aliqua pars Socratis, quia Socrates nunc est major quam tunc fuit A; igitur tunc A fuit minus quam nunc est Socrates, sed quolibet minori Socrate est aliqua pars quantitativa Socratis major; igitur et cetera.

Similiter: A tunc fuit minus quam nunc est Socrates in aliqua proportione, sed infinitae sunt partes quantitativae Socratis quarum quaelibet prius fuit minor Socrate in minori proportione quam est illa proportio data quaecumque detur; ergo aliqua est pars quantitativa Socratis quae nunc est major et prius fuit major quam est A quantitas.

Propter ista argumenta forte conceditur consequens sicut est concedendum, sed ulterius negatur consequentia, illa scilicet quamcumque quantitatem prius habuit Socrates, tantam habuit aliqua pars quantitativa Socratis, ergo Socrates non fuit major quam fuit aliqua pars Socratis; ergo Socrates non fuit major quam aliqua pars sui, licet in nulla proportione fuit ipse major quam fuit aliqua pars sui eodem modo sicut est major licet in nulla proportione.

Sed arguitur contra hoc sic [contra]: eadem ratione sequitur quod Socrates fuit major quam Plato, posito quod tam<sup>25</sup> Socrates quam Plato continue per aliquod tempus terminatum ad hoc instans quod est praesens fuissent augmentati, ita tamen quod Socrates continue <87ra> ante hoc fuisset major Platone et nunc primo ipsi sint aequales. Tunc, isto posito, eadem ratione apparet sequi quod Socrates fuit major quam Plato fuit, sicut quod Socrates fuit major quam aliqua pars quantitativa sui, qui sicut continue ante hoc instans fuit ita quod Socrates est major quam aliqua sui pars sit continue ante hoc fuit ita quod Socrates est major quam est Plato. Ideo si conceditur in isto casu quod Socrates fuit major quam fuit Plato, contra: Plato fuit tantus sicut fuit Socrates.

Probatur: quia si Socrates et Plato nunc non forent, sed nunc primo forent corrupti et cum hoc fuissent augmentati omnino sicut fuerunt vel sicut ponitur tunc de eis, tunc Plato fuisset tantus sicut fuisset Socrates et e contra. Sed tunc Plato non fuisset major quam jam fuit, nec Socrates tunc fuisset minor qui jam fuit; ergo Plato fuit tantus sicut fuit Socrates.

Consequentia patet, et antecedens arguitur, scilicet quod Plato tunc fuisset tantus et cetera: quia tunc Plato habuisset tantam quantitatem quantam habuit Socrates et e contra; ergo et cetera.

Similiter: Socrates tunc numquam fuisset major quam fuit Plato, quia in nullo instanti fuisset Socrates tantus sicut fuit Plato: igitur et cetera.

Ideo ad argumentum respondeo negando quod sequitur eadem ratione quod Socrates fuit major quam fuit Plato in casu posito.

Et quando arguitur ad hoc probando, negatur consequentia, et dicitur quod causa quare Socrates fuit major quam aliqua pars quantitativa Socratis non haec est quod continue fuit ita quod Socrates est major quam aliqua pars quantitativa sui, sed quod Socrates fuit magnus et quaelibet pars quantitativa Socratis fuit magna et nulla fuit tanta sicut fuit Socrates, sed sic non est de Platone, quia Plato fuit tantus sicut fuit Socrates.

Sed ad aliud argumentum, quando arguitur <quod> Socrates continue fuit major Platone; ergo Plato continue fuit minor Socrate et si sic; ergo Plato numquam fuit tantus sicut fuit Socrates;

---

<sup>25</sup> quod tam corr.: tam quod V

praeterea: si Plato fuit tantus sicut fuit Socrates, et Socrates et Plato continue simul fuerunt; ergo Socrates fuit aequalis Platoni, et e contra, <dicitur> quod est falsum et contra casum.

Similiter: Plato numquam fuit tantus sicut fuit Socrates.

Probat: quia quandocumque Plato fuit, ipse fuit minor Socrate, et quandocumque ipse fuit minor Socrate, non fuit tantus sicut Socrates; ergo quandocumque Plato fuit, ipse non fuit tantus sicut fuit Socrates.

Similiter: Plato in nullo instanti fuit tantus sicut fuit Socrates, sed Plato non fuit major quam ipse fuit in aliquo instanti; ergo et cetera.

Ad haec respondetur primo negando hanc consequentiam ‘Plato continue fuit minor Socrate quandocumque ipse fuit; ergo non fuit tantus sicut fuit Socrates’.

Et ultra, quando arguitur “si Plato fuit tantus sicut fuit Socrates, et Socrates et Plato continue simul fuerunt; ergo Socrates fuit aequalis Platoni et e contra”, negatur consequentia. Unde nec in casu posito nec in alio sequitur ‘Socrates immediate ante hoc fuit tantus sicut immediate ante hoc fuit Plato et e contra; ergo Socrates et Plato immediate ante hoc fuerunt aequales’.

Antecedens enim in casu isto est verum et consequens falsum; ergo et cetera.

Ad aliud, quando arguitur sic “quandocumque Plato fuit, ipse fuit minor Socrate, et quandocumque ipse fuit minor Socrate, <ipse> non fuit tantus sicut fuit Socrates; ergo numquam fuit tantus Plato sicut fuit Socrates”, huic dicitur concedendo consequentiam et negando minorem. Et dicitur quod quando Plato fuit minor Socrate, ipse fuit tantus sicut fuit Socrates.

Et quando arguitur quod in nullo instanti fuit Plato tantus sicut fuit Socrates, conceditur.

Et ulterius, quando arguitur quod ipse non fuit major quam ipse fuit in aliquo instanti, huic dicitur negando illud, et conceditur quod ipse fuit major quam ipse fuit in aliquo instanti, et similiter Socrates, quia neuter eorum fuit in aliquo instanti tantus sicut ipse fuit in aliquo instanti; ideo Socrates et Plato fuerunt majores quam fuerunt in aliquo instanti.

Et si arguitur ulterius ex isto quod Plato fuit in aliquo instanti major quam ipse fuit in aliquo instanti, quia ipse fuit <87rb> magnus in aliquo instanti, et in nullo instanti fuit ita magnus sicut ipse fuit in aliquo instanti; ergo ipse fuit major in aliquo instanti quam ipse fuit in aliquo instanti, consequentia apparet per priores causas superius positas et concessas. Huic dicitur quod non valet haec consequentia et quod consequens est impossibile et antecedens est verum, sicut quando arguitur sic: aliqua pars quantitativa Socratis est magna, et nulla est tanta sicut est aliqua; ergo aliqua est major quam est aliqua, notum est quod consequentia non valet, quia antecedens est verum et consequens impossibile.

Et tunc si quaeritur causa quare valet una consequentia prius posita consimiliter omnino arguendo ut videtur et non ista, huic quaestioni potest dici cavilatorie quod in priori consequentia oppositum consequentis repugnat antecedenti, sed sic non est in ista ultima nec penultima; ideo et cetera. Verumtamen ista responsio non ponit aliquam causam magis notam quam si diceretur quod ista consequentia non valet quia non valet. Ideo potest dari alia responsio ad illam consequentiam sic: quod in priori consequentia quae valet fit comparatio respectu duorum terminorum quorum unus solum habet unicum suppositum vel supposita finita tantum. Comparatur enim Socrates ad suas partes quantitativas, sed in hac penultima consequentia et in ultima, quae non valent, fit comparatio respectu duorum terminorum quorum uterque habet infinita supposita, vel saltem habere potest, sic significando in quocumque tempore finito; ideo respectu illorum terminorum non valet hujusmodi comparatio, sicut apparet in aliis. Sequitur enim ‘tu vides unam partem; ergo tu vides multas partes’, ‘tu tangis unam partem; ergo tu tangis infinitas partes’, sed sic non sequitur ‘tu vides

unum hominem; ergo tu vides multos homines’, ‘tu vides unum animal; ergo tu vides infinita animalia’, et causa quare non valet consequentia satis facilis est intuenti.

Adhuc forte arguitur contra istam propositionem, scilicet ‘Plato fuit tantus sicut fuit Socrates’, quod ex illa responsione sequitur quod Plato fuit tantus sicut fuit Socrates et aliquando ipse fuit minor Socrate, et tamen ipse numquam incipit esse tantus sicut fuit Socrates nec umquam desinebat esse minor Socrate nec desinit nec incipit.

Et arguitur contra ista si concedantur sicut sunt concedenda: quia si Plato fuit tantus sicut fuit Socrates; ergo vel per tempus vel per instans ipse fuit tantus sicut fuit Socrates, quia si aliquid fuit, ipsum fuit vel per tempus vel per instans — aliter enim non posset imaginari aliquid esse nisi per tempus vel per instans —; igitur per tempus fuit Plato tantus sicut fuit Socrates <vel per instans fuit Plato tantus sicut fuit Socrates>. Si ergo fuit Plato per tempus tantus sicut fuit Socrates, signetur primum instans illius temporis et sequitur quod in illo instanti incepit Plato fore tantus sicut fuit Socrates, et eodem modo, si Plato solum per instans fuit sicut fuit Socrates, signetur illud instans et sequitur quod tunc incipit Plato et cetera. Et si incipit esse tantus sicut fuit Socrates, tunc desinebat esse minor Socrate; ergo et cetera.

Ad haec respondetur simul negando utrumque, scilicet quod Plato per tempus fuit tantus sicut fuit Socrates, etiam quod per instans fuit tantus sicut fuit Socrates. Sicut enim manifeste patet per prius posita, nec per tempus <nec per instans> <87va> fuit Plato tantus sicut fuit Socrates. Et ulterius tunc, quando arguitur quod si aliquid fuit, ipsum fuit vel per tempus vel per instans, huic dicitur concedendo istam conditionalem.

Et tunc quando arguitur ulterius “ergo si Plato fuit tantus sicut fuit Socrates et cetera”, dicitur quod non valet consequentia, sicut non sequitur ‘iste numerus erit, demonstratis duobus qui numquam simul erunt; ergo iste numerus erit per tempus vel per instans’.

Et si arguitur sic: Plato fuit tantus et cetera, et non ab aeterno fuit Plato tantus; ergo aliquando incipit esse tantus et cetera, etiam si arguitur ad alteram partem: Plato aliquando fuit minor Socrate, et jam non est minor Socrate; ergo aliquando desinebat vel desinit esse minor Socrate, dicitur quod neutra consequentia valet. Verumtamen bene sequitur haec disjunctiva, scilicet ‘Plato desinit esse minor vel desinebat esse minor Socrate’, sed non sequitur quod incepit esse tantus sicut fuit Socrates, vel incipit et cetera, licet Plato nunc primo sit aequalis Socrati, quia non sequitur ‘nunc primo Plato est aequalis Socrati; ergo nunc primo est tantus sicut est Socrates vel fuit Socrates’, sicut patet ex praedic[ati]o[n]is. Numquam tamen potest probari secunda conclusio prius posita, scilicet quod Plato aliquando fuit minor Socrate et postea fuit tantus sicut fuit Socrates, et tamen non desinit esse minor Socrate nec desinebat esse minor Socrate: quia numquam potest probari nisi in tali casu ubi ponitur quod Plato in principio talis horae vel temporis fuit minor Socrate et continue fuisset augmentatus Plato sicut et Socrates usque ad tale instans in quo fuissent aequales ceteris paribus, et quod tunc aliqua pars magna Platonis desinebat esse pars Platonis sic quod adhuc sit Plato minor Socrate. Tunc enim, isto posito, sequitur quod Plato aliquando fuit minor Socrate postea tantus sicut fuit Socrates, et tamen non desinebat esse minor Socrate nec desinit esse minor Socrate. Non enim desinit, quia adhuc est minor Socrate et immediate ante hoc instans quod est praesens ipse fuit minor Socrate, et immediate post idem instans erit minor Socrate, ponatur una cum prius posito et a multo fortiori prius non desinebat Plato esse minor Socrate, quia continue prius ipse fuit minor Socrate; igitur et cetera.

Et consimiliter sicut jam sunt concessae istae conclusiones de praeterito sunt consimiles concedendae de futuro, scilicet quod Plato est minor Socrate et erit tantus sicut erit Socrates, et tamen quandocumque Plato erit, ipse erit minor Socrate. Ex quo sequitur quod numquam incipiet esse tantus quantus fuit Socrates nec umquam desinet esse minor Socrate. Verumtamen est advertendum quod si Plato jam est minor quam est Socrates et erit tantus

quantus est Socrates quod Plato incipiet esse sicut est Socrates et desinit esse minor quam est Socrates, et eodem modo etiam sequitur si Plato non est tantus sicut erit Socrates in tali instanti vel in tali, quocumque instanti futuro demonstrato, et ipse erit tantus sicut erit Socrates in isto instanti; ergo Plato incipiet esse tantus sicut erit Socrates in isto instanti, et desinit esse minor quam erit Socrates <in> isto instanti.

Sed forte contra hoc arguitur sic: ponendo quod Socrates nunc sit bipedalis quantitatis et Plato pedalis quantitatis, et augmentetur Socrates continue uniformiter per horam incipientem a praesenti instanti quousque sit quadripedalis quantitatis, et Plato augmentetur uniformiter per <87vb> eandem horam quousque<sup>26</sup> sit tripedalis quantitatis, et non ultra. Istis positus, Plato est minor quam nunc est Socrates et erit tantus sicut est Socrates, et tamen numquam incipiet esse tantus sicut est Socrates.

Quod arguitur sic: Plato enim erit tantus sicut est Socrates, sicut patet ex casu, quia Plato erit major quam est Socrates, sicut patet manifeste ex casu.

Et quod Plato numquam incipiet esse tantus sicut est Socrates arguitur sic: si Plato aliquando incipiet esse tantus sicut est Socrates; ergo aliquando erit ita quod Plato incipit esse tantus sicut est Socrates. Et arguitur quod non: quia continue per hanc horam erit ita quod Socrates est major Platone et immediate post praesens instans erit major Platone, et si sic; ergo numquam erit ita quod Plato incipit esse tantus sicut est Socrates.

Similiter: si Plato incipiet esse tantus sicut est Socrates, Plato incipiet esse aequalis Socrati, sed Plato numquam incipiet esse aequalis Socrati; ergo et cetera.

Similiter: numquam incipiet esse ita quod Plato est tantus sicut est Socrates; ergo Plato numquam incipiet esse tantus sicut est Socrates.

Similiter: si Plato aliquando incipiet esse tantus sicut est Socrates; ergo postea erit ita quod Plato incipit esse tantus sicut est Socrates, consequens est falsum et contra casum.

Similiter: si Plato incipiet esse tantus sicut est Socrates, eadem ratione si Socrates non fuit major quam ipse nunc est, sequitur quod Plato incipiet esse major quam fuit Socrates. Et arguitur quod non: quia per totam hanc horam continue erit ita quod Plato nec est nec fuit tantus sicut fuit Socrates.

Similiter: si Plato in aliquo instanti incipiet esse major quam fuit Socrates, in illo instanti erit Plato major quam erit Socrates ante illud instans — aliter enim non foret Plato tunc major quam fuit Socrates —, sed hoc est falsum et contra casum, quia quocumque instanti dato istius horae in illo instanti erit Socrates major Platone; ergo et cetera.

Ad haec respondetur negando primo hanc consequentiam ‘Plato incipiet esse tantus sicut est Socrates; ergo aliquando erit ita quod Plato incipit esse tantus quantus est Socrates’.

Et si quaeratur tunc qualiter debet exponi illud verbum ‘incipiet’, dicitur quod non indiget expositione. Si tamen omnino voluerit opponens habere expositionem illius, dicitur quod ista propositio ‘Plato incipiet esse tantus sicut est Socrates’ sic probatur: in aliquo instanti, ut in A vel in B erit Plato tantus sicut est Socrates, et numquam ante illud instans erit Plato tantus sicut est Socrates; ergo tunc Plato incipiet esse tantus sicut est Socrates.

Et si arguitur contra responsionem datam sic: si in aliquo instanti aliquid erit tale vel tale vel hoc vel illud; ergo in illo instanti erit ita quod ipsum est quicquid sit in mundo, etiam: si in aliquo instanti erit Plato tantus vel tantus vel talis vel hic vel ibi; ergo in isto instanti erit ita quod ipse est tantus et cetera; ergo eadem ratione si in aliquo instanti Plato incipiet esse tantus sicut est Socrates, ita erit in eodem instanti quod ipse incipit esse tantus.

Similiter: si tunc Plato incipiet esse tantus sicut est Socrates; ergo tunc erit Plato incipiens esse tantus sicut est Socrates, et si sic; ergo tunc erit ita quod est incipiens et cetera.

---

<sup>26</sup> quousque corr.: quocumque V

Ad haec respondetur primo concedendo istas consequentias cum hoc verbo 'erit'. Et ultra, quando arguitur ex illis consequentiis tamquam concessis eadem ratione quod si Plato incipiet et cetera, dicitur quod non valet consequentia. Et causa quare valent priores consequentiae respectu hujus verbi 'est' et non ultima <est> quia ibi arguitur in terminis simplicibus, hic vero arguitur ex terminis compositis denotantibus comparationem; ideo et cetera. Unde cum verbo adhuc substantivo 'est' aliquando in terminis compositis non valet consequentia, quia non sequitur 'Socrates erit cras omnis homo qui est in bello monte; igitur cras erit ita quod Socrates est omnis homo qui est in bello monte'. Notum est enim quod in casu possibili est antecedens verum et consequens falsum. Similiter non sequitur 'Socrates fuit homo qui est albus; ergo ita fuit <88ra> quod Socrates est homo qui est albus', et sic de multis aliis terminis non valet hujusmodi consequentia cum hoc verbo 'est', sicut nec valet in proposito cum hoc verbo 'incipit'. Et sic non sequitur 'Plato incipiet esse tantus sicut est Socrates; ergo erit ita quod Plato incipit esse tantus sicut est Socrates', sic non sequitur 'ita erit quod Plato incipit esse tantus sicut est Socrates; igitur Plato incipit esse tantus sicut est Socrates'. Unde ista stant simul 'Plato non incipiet esse tantus sicut est Socrates, et tamen erit ita quod Plato incipiet esse tantus sicut est Socrates', etiam [quod] 'Plato non potest esse tantus sicut est Socrates, et tamen erit major Socrate'. Ponatur enim quod Socrates nunc sit ita magnus quod Plato non possit esse tantus sicut nec quicumque homo potest esse ita magnus sicut jam est aliquis homo, et ultra ponatur quod Socrates minuetur vel proprie vel violenter, et improprie quousque sit multo minor Platone. Istis positis, notum est quod sequuntur istae conclusiones propositae, scilicet quod Plato erit major Socrate, et tamen non potest esse tantus sicut est Socrates. Et similiter ita erit quod incipit esse tantus sicut est Socrates, et tamen numquam incipiet et cetera.

Arguitur etiam aliter ista conclusio, scilicet quod ita erit quod Plato incipiet esse, et tamen numquam incipiet esse et cetera: quia posito quod Plato aliquando fuisset tantus sicut est ipse nunc, et quod numquam fuisset major quam ipse nunc est, et quod ipse incipiat augeri, et continue per horam quae incipiat a praesenti instanti augeatur, tunc continue per totam istam horam erit ita quod Plato incipit esse major quam ipse prius fuit, et tamen numquam incipiet esse major quam ipse prius fuit.

Quod arguitur sic: quia si non, ponatur ergo cum casu quod Plato incipiet esse major quam ipse prius fuit, et sequitur quod in quocumque instanti hujus horae incipiet esse major quam ipse prius fuit, et tamen in quolibet instanti hujus horae erit Plato major quam ipse prius fuit, quod claudit opposita, quia si in instanti medio erit Plato major quam ipse prius fuit, et etiam immediate ante medium instans erit ipse major quam ipse prius fuit; ergo in isto instanti non incipiet Plato esse major quam ipse prius fuit.

Etiam arguitur sic: si Plato tunc incipiet esse major quam ipse prius fuit, et Plato solum fuit ante hoc instans; ergo Plato tunc incipiet esse major quam ipse prius fuit ante hoc instans quod nunc est. Consequens <est> falsum: quia Plato nunc incipit esse major quam ipse prius fuit ante hoc instans, et continue per totam horam erit ipse major quam ipse fuit ante hoc instans; ergo et cetera.

Ideo dicitur sicut est dicendum concedendo istas conclusiones, scilicet quod continue per totam istam horam erit ita quod Plato incipit esse major quam ipse prius fuit, et numquam incipiet Plato esse major quam ipse prius fuit, et quod ante finem istius horae ipse erit tantus sicut ipse erit ante finem istius horae, et tamen numquam incipiet esse tantus sicut erit ante finem istius horae, sed desinit esse tantus sicut ipse erit ante finem istius horae, quia incipiet postea esse minor quam erit immediate ante finem istius horae vel desinit totaliter esse; et ideo desinet esse tantus sicut erit ante finem istius horae, licet tamen nunc non sit tantus nec umquam post hoc incipiet esse tantus, sicut prius fuit dictum ad unum consimile sophisma.

Adhuc arguitur contra illam propositionem concessam quod Plato vel Socrates erit ita magnus sicut ipsemet erit, posito quod uterque continue augmentetur quousque uterque corrumpatur: quia si sic augmentetur Socrates, tunc non habebit tantam quantitatem quantam ipse habebit.

Probo: quia <88rb> tunc non erit maxima quantitas quam Socrates habebit, quia quacumque data quam Socrates habebit adhuc postea habebit majorem, sicut apparet ex casu; ergo nulla erit maxima quantitas quam Socrates habebit et cetera. Et si sic; ergo ipse non habebit tantam quantitatem quantam ipse habebit.

Si negatur consequentia, contra: stabit ergo oppositum, scilicet quod habebit tantam et cetera, et tamen nullam tantam habebit, quia nulla tam magna erit; sequitur igitur quod habebit tam magnam quantitatem et cetera, et tamen nulla talis erit; igitur habebit aliquam quantitatem quae numquam erit. Etiam eadem ratione qua conceditur quod Socrates habebit tantam quantitatem et cetera, posset concedi quod Socrates habebit ita modicam quantitatem sicut ipse habebit, quod est impossibile: quia non potest esse aliqua quantitas ita modica sicut est aliqua quam Socrates habebit. Si ergo non potest esse aliqua talis; ergo Socrates non potest habere aliquam talem, et consimiliter omnino arguitur in proposito quod nulla potest esse aliqua maxima quantitas quam Socrates habebit.

Pro isto forte dicitur sicut est dicendum in casu, non tamen universaliter est hoc verum in omni casu, scilicet quod aliqua erit maxima quantitas quam Socrates habebit et est illa quae jam est maxima quam Socrates habet, scilicet totum corpus Socratis, posito quod Socrates improprie augmentetur, scilicet per rarefactionem in qua nullum novum adveniat ejus, sed fiat illud idem quod nunc est majoris quantitatis, scilicet continue majus quousque Socrates corrumpatur, tunc dicitur in casu illo quod illa erit maxima quantitas quam ipse umquam habebit, quia continue erit eadem numero, et continue erit ita quod ista est maxima quantitas quam Socrates habebit.

Si conceditur, arguitur adhuc quod ipsa non erit maxima quam Socrates habebit: quia haec quantitas numquam erit tanta sicut est aliquid quod est tantum praecise sicut erit Socrates.

Probo: quia si sic; sit ergo gratia exempli quod Plato sit tantus praecise sicut est Socrates, tunc arguitur sic: haec quantitas erit tanta sicut est Plato, et Plato est pedalis quantitatis vel tantae vel tantae quantitatis; ergo ista quantitas erit tantae vel tantae quantitatis. Consequens <est> falsum: quia continue erit minor tanta quantitate cum illa quantitas demonstrata sit tanta praecise quantus erit Socrates.

Similiter: illa quantitas quam tu dicis fore maximam quam habebit Socrates in nullo instanti erit maxima quam habebit Socrates; ergo et cetera.

Similiter: si haec erit maxima quantitas quam habebit Socrates; ergo numquam habebit majorem ista, et si Socrates numquam habebit majorem quantitatem ista, et jam habet illam; ergo Socrates numquam augmentabitur, quod est contra casum.

Ad haec respondetur primo ad primum, quando arguitur quod haec quantitas numquam erit tanta sicut est aliquid quod est tantum praecise sicut erit Socrates, huic dicitur concedendo quod nihil est nec esse potest tantum praecise sicut erit Socrates. Eo ipso enim quod poneretur aliquid esse tantum praecise sicut erit Socrates, in casu isto sequitur quod ipsum est majus quam erit Socrates; ideo conceditur illa negativa et non procedit argumentum ulterius.

Ad aliud, quando arguitur quod ista quantitas in nullo instanti erit maxima quam Socrates habebit; ergo numquam erit maxima quam Socrates habebit, negatur consequentia, ut prius frequenter negantur consimiles.

Ad ultimum, quando arguitur quod si jam habet illam quantitatem et numquam habebit majorem ista; igitur numquam augmentabitur, negatur consequentia, quia etsi Socrates numquam habebit majorem quantitatem ista, habebit tamen quantitatem majorem quam est ista, quia ista erit major quam est ista; igitur et cetera.

Juxta hoc arguitur frequenter quod propositio affirmativa de praeterito significando praecise <88va> sicut prius significavit quando fuit vera incipit esse falsa, et similiter quod propositio falsa de futuro in materia contingenti ad utrumlibet incipiet esse vera significando praecise sicut significavit quando fuit falsa, et quod aliqua propositio de futuro erit vera et est vera, et tamen numquam erit aliqua talis sibi correspondens vera de praesenti nec umquam erit ita de praesenti sicut illa significat de futuro, et eodem modo quod aliqua propositio est vera de praeterito, et tamen numquam fuit ita de praesenti sicut ipsa significat, et e contra, etiam quod aliqua est propositio vera de praesenti, et tamen numquam erit aliqua propositio de praeterito vera sibi correspondens, quotquot sunt propositiones de praeterito sic significantes, nec umquam fuit aliqua propositio de futuro vera sibi correspondens, sed continue per horam fuit quaelibet talis de futuro sibi correspondens falsa vel impossibilis. Omnes istae conclusiones satis faciliter haberi possunt per prius dicta. Ad aliquas istarum tamen oportet supponere diversos casus vel diversas particulas prout superius supponebatur, unde non est aliqua illarum quin ipsa sequatur in aliquo casu prius posito, sicut apparebit intuenti.

## <Quartum sophisma>

### <Omnis homo est unus solus homo>

<89va> Omnis homo est unus solus homo.

Quod arguitur sic: omnis homo qui est est unus solus homo, omnis homo est homo qui est; ergo omnis homo est unus solus homo.

Similiter: quilibet homo est unus solus homo; ergo omnis homo est unus solus homo.

Similiter: tantum unus solus homo est homo; ergo omnis homo est unus solus homo.

Consequentia patet, et antecedens arguitur sic: quilibet homo est unus solus homo; ergo tantum unus solus homo est homo.

Consequentia patet per regulam generalem ab universali ad suam exclusivam de terminis transpositis valet consequentia.

Praeterea, omnis homo est aliquis homo, et omne quod est aliquis homo est unus solus homo; ergo et cetera.

Assumptum arguitur sic: [quod] omnes homines sunt aliqui homines; ergo omnis homo est aliquis homo, quia omnis homo est aliquis homo, consequentia patet.

Si tamen negatur consequentia, ipsa potest argui sic: omnes homines sunt aliqui homines; ergo aliqui homines sunt omnes homines; ergo illorum hominum omnis homo est aliquis homo. Si non valet ista consequentia, stabit ergo oppositum. Stabunt ergo ista simul, scilicet quod aliqui sunt omnes homines, et tamen illorum non omnis homo est aliquis homo.

Sed contra signetur tunc aliquid quod est homo est homo quod non est aliquis homo illorum. Et si dicatur quod illud erit una mulier, contra tunc vel iste homo vel ista homo, demonstrata ista muliere, est istorum omnium, demonstratis omnibus, sed non est verum quod ista est istorum hominum — quia illa omnino erit incongrua —; ergo verum est quod iste est istorum, eadem demonstrata. Ideo si dicatur quod major est falsa in prima consequentia, scilicet ‘omnes homines sunt aliqui homines’ et sic est ista falsa ‘aliqui homines sunt omnes homines’, quia iste terminus ‘aliqui’ non supponit nisi pro masculis, [sed] arguitur contra sic quod sit vera, quia omnes viri et omnes mulieres sunt aliqui homines, et omnes homines sunt omnes viri et omnes mulieres; ergo omnes homines sunt aliqui homines. Ista consequentia patet accipiendo istum terminum ‘omnes’ collective, et sic tenendo istum terminum, antecedens satis patet; igitur et cetera. Nam sicut patet per grammaticum genus masculinum concipit femine?; igitur et cetera.

Item, ex isto arguitur <89vb> masculinum genus in plurali potest indifferenter significare res masculini generis et feminini, quia haec est satis congrua et vera ‘isti currunt’, demonstratis viris et mulieribus currentibus; ergo eadem ratione erit haec vera et congrua ‘iste currit’ demonstrata muliere, et sic sequitur quod hoc sophisma est verum. Nulla enim ponitur alia causa quare est falsum nisi quia masculinum adjectivum non significat rem feminini generis, sed restringit suum substantivum ut solum supponat pro masculis.

Et ideo arguitur communiter ad oppositum sophismatis sic: omnis homo est unus solus homo; ergo omnis homo est homo masculus, et ultra: ergo mulier est homo masculus, consequens est falsum; ergo et antecedens.

Ad sophisma respondetur negando sophisma. Posset tamen sophisma sophisticè sustineri et concedi negando cavilatorie hanc consequentiam ‘omnis homo est unus solus homo, mulier



est homo; ergo mulier est unus solus homo' dicendo quod non est consequentia, quia illud quod ponitur in loco consequentis non est propositio, sed una omnino incongrua. Vel dico quod consequentia non valet, quia antecedens est verum et consequens est falsum; unde ex illis praemissis non sequitur illa conclusio, sed sequitur quod mulier est una sola homo. Sed ad litteram haec responsio est minus sufficiens: quia in aliis terminis satis valet hujusmodi consequentia arguendo omnino sicut prius argutum est, sic scilicet 'omnis homo est unus solus homo, omne animal rationale est homo; ergo omne animal rationale est unus solus homo'. Notum est quod consequentia est satis bona, nec potest poni aliqua ratio diversitatis quare haec secunda valeat et non prima, cum sit idem modus arguendi et in eisdem terminis omnino unico solo excepto.

Ideo respondetur sicut prius negando sophisma.

Et ad argumenta in oppositum respondetur primo ad primum concedendo consequentiam et negando minorem.

Ad secundum etiam dicitur negando consequentiam.

Et quando arguitur quod istae propositiones convertuntur in quibus arguitur, dicitur quod non, non obstante quod subjecta convertantur et praedicata, et causa est quia subjecta illarum propositionum quamvis sint convertibilia, tamen pro [non] eisdem praecise non supponunt.

Et si arguitur quod sic, quia utraque illarum propositionum est propositio universalis affirmativa; ergo utriusque subjectum supponit pro quolibet ejus supposito; ergo et cetera, huic dicitur quod non valet ista consequentia 'talis propositio est universalis; ergo subjectum istius supponit pro quolibet ejus supposito', quia in illa propositione 'quilibet homo est unus solus homo', iste terminus 'homo' supponit solum pro masculis, quia suum adjectivum est solum masculini generis.

Ad aliud argumentum, quando arguitur "tantum unus solus homo est homo; ergo omnis homo est unus solus homo", conceditur consequentia sed negatur antecedens.

Et quando arguitur probando antecedens sic "quilibet homo est unus solus homo; ergo tantum unus solus homo est homo", negatur consequentia et glosatur regula sicut prius, scilicet quod requiritur quod terminus exclusivae et illius universalis pro eisdem praecise supponant si pro aliquibus supponunt, <sed> sic non est in proposito.

Ad aliud, quando arguitur "omnis homo est aliquis homo et cetera.", conceditur consequentia, sed negatur antecedens.

Et quando arguitur antecedens sic "omnes homines sunt aliqui homines; ergo omnis homo est aliquis homo", negatur consequentia.

Et ad argumentum ulterius, quando arguitur quod haec est incongrua 'ista istorum hominum est homo', demonstrata muliere per ly 'ista' et omnibus hominibus per ly 'istorum', dicitur quod illa non est incongrua sed est vera. Unde sicut est haec vera 'ista homo est de numero istorum <90ra> hominum', demonstratis omnibus hominibus, sic haec est vera 'ista istorum hominum est homo', quia ex priori sequitur ipsa secunda.

Et quando arguitur ulterius quod masculinum genus in numero plurali simul significat rem masculini generis et rem feminini generis; igitur eadem ratione sic significat in singulari et sic sequitur quod illa propositio est vera 'mulier est aliquis homo'; igitur et cetera; huic dicitur quod haec ultima consequentia non valet sicut nec penultima. Primo quando arguitur 'in plurali sic significat; ergo et in singulari sic significabit', consequentia non valet. Verum est tamen quod aliquando masculinum genus in numero singulari significat rem feminini generis, sed hoc est accidentaliter, quemadmodum dicendo 'iste numerus est binarius', demonstratis duabus mulieribus, 'iste populus currit', et sic de aliis. Sed propter hoc non sequitur quod

mulier est aliquis homo nec quod aliqua talis praedicatio sit vera ‘mulier est unus solus homo vel bonus homo, et sic de aliis’.

Et quando arguitur quod haec praedicatio est vera in numero plurali ‘isti sunt aliqui homines’, demonstratis viris et mulieribus, dicitur quod hoc est satis possibile, quia ibi genus masculinum licet significet res feminini generis, cum hoc etiam significat res masculini generis. Unde si demonstrantur solummodo mulieres, non foret ista propositio vera sic significando ‘isti sunt aliqui homines’, sed in numero singulari, cum debeat masculinum genus praedicari de aliquo, requiritur quod verificetur de illo solo, et ideo quando affirmatur de feminino genere pro tunc saltem ut sic non affirmatur de aliquo masculino, ideo illa praedicatio non est vera ut communiter nisi addatur illud masculinum genus nomini colectivo vel nomini numerali prius ut exemplificatum est. Haec enim praedicatio est satis vera ‘mulieres sunt aliquis populus, aliquis numerus et cetera; ergo et cetera’.

Sed contra hanc responsionem arguitur: si ista praedicatio sit falsa, demonstratis solis mulieribus, ‘isti sunt aliqui homines’ et ista sit vera ‘isti sunt aliqui homines’, demonstratis viris et mulieribus, sequitur quod viginti sint homines albi quorum solus Socrates desinit esse albus, et tamen immediate post praesens instans non erunt aliqui homines albi. Ex hoc sequitur quod tantum iste homo desinit esse albus, demonstrato Socrate, et tamen duo homines desinunt esse albi et tres desinunt esse albi, et sic de aliis usque ad viginti, quod non est verum.

Eodem modo etiam sequitur quod tu vides omnes homines qui sunt in Anglia vel qui sunt albi vel nigri praeter Socratem, et tamen nullum hominem nec aliquos homines nigros vel albos vides’.

Quod hoc sequatur arguitur sic: pro primo enim ponitur gratia exempli quod sint XIX mulieres albae et quod Socrates sit omnis homo masculus albus, tunc isto posito demonstratis Socrate et illis mulieribus, haec est vera ‘isti sunt XX homines albi et nullus istorum est albus nisi Socrates’. Haec conclusio tamen non fuit tacta superius. Ponatur ergo cum superius positus quod Socrates desinat esse albus et quod nulla mulier nec quod aliquod animal, breviter quod nihil desinat esse album nisi Socrates, et tunc sequitur ista conclusio proposita, scilicet quod viginti sunt homines albi quorum tantum unus, scilicet Socrates, desinit esse albus’, et tamen immediate post instans quod est praesens non erunt aliqui homines albi et cetera. Sed tunc quando arguitur ulterius quod solus Socrates desinit esse albus et tamen duo homines et tres et quattuor desinunt esse albi, dicitur negando istam copulativam tamquam impossibilem.

<90rb> Et ad argumentum, si arguitur contra: duo homines desinunt esse albi, probatur: nunc sunt duo homines albi, et immediate post hoc non erunt duo homines albi; ergo illi duo desinunt esse albi’, dicitur quod non valet consequentia. Ad hoc enim quod aliqua desinant esse alba, requiritur quod quodlibet illorum desinat esse album, quod non est verum in proposito. Si enim ista consequentia valeret, ‘ista nunc sunt alba, et non immediate post hoc ista erunt alba; ergo illa desinunt esse alba’, sequitur eadem ratione quod deus et omnia mundi desinerent esse, quia ista omnia nunc sunt, et immediate post hoc non erunt; ergo ista desinunt esse, consequens est falsum. Ad hoc enim quod aliqua desinant esse, requiritur quod quodlibet illorum desinat esse.

Sed contra, posito quod jam videas viginti homines et immediate post praesens instans non videbis plures quam decem et novem homines, tunc adhuc desineres videre viginti homines, quia jam vides viginti homines, et immediate post hoc non videbis viginti homines; ergo et cetera, et si desinis videre viginti homines in casu illo, signentur ergo illi viginti, et arguitur tunc sic: tu desinis videre istos viginti homines; ergo istos viginti homines desinis videre, et ultra ergo isti viginti homines desinunt videri a te, et jam per casum nullus illorum desinit

videri a te nisi Socrates; huic respondetur concedendo usque ad ultimam consequentiam ‘istos viginti desinis videre; ergo isti viginti desinunt videri a te’. Ista consequentia enim non valet, quia antecedens est verum et consequens falsum. In omnibus enim antecedentibus hoc verbum ‘desinis’ refertur ad personam videntem, sed in ultimo consequente refertur hoc verbum ‘desinis’ ad res visas; et ideo propter variationem non valet ista consequentia ultima. Et eodem modo dicendum est ad omnia consimilia ‘tu desinis scire viginti propositiones’, ‘tu incipis scire viginti propositiones’, et sic de aliis.

Sed contra hanc responsionem arguitur forte sic probando hanc consequentiam ‘istos viginti desinis videre; ergo isti viginti desinunt videri a te’: quia hic arguitur per illam regulam generalem ab activa ad suam passivam. Omnis enim activa est apta nata inferre aliquam passivam; ergo cum illud antecedens sit activa, ex ipso sequitur aliqua passiva et non alia; igitur et cetera. Huic dicitur, quando allegatur illud pro regula generali, quod non est generaliter positum alicubi ab Aristotele quia tamen habent aliquid rationis et quia vulgaris est, dicitur quod in isto argumento non arguitur directe ab activa ad passivam. Ad hoc enim quod directe arguatur ab activa ad passivam, oportet quod illud verbum activum foret verbum principale antecedentis et similiter quod illud passivum foret verbum principale consequentis, quod non est verum in proposito. Potest ergo dici quod regula intelligitur ubi arguitur directe ab activa et cetera. Sed tamen si haec responsio non sufficit ipsi opponenti, responderi potest cavilatorie quod ista consequentia est bona vel quod oportet arguere sic ‘istos desinis videre; ergo aliquod istorum desinit videri a te’. Quocumque enim posito casu, ista consequentia sic significando erit satis bona.

Contra tamen, glosa istius regulae arguitur sic: ista consequentia non valet ‘promitto tibi denarium; ergo denarius tibi promittitur’, ‘omnis homo videt aliquem hominem; ergo aliquis homo videtur ab omni homine’, et sic de aliis, et in quolibet istorum arguitur per illam regulam; ergo et cetera. Huic dicitur quod in nullo illorum arguitur per illam regulam. Regula enim non plus ponit nisi quod ab omni activa potest <90va> argui ad aliquam passivam, seu ad aliquam propositionem in qua principale verbum sit passivae vocis simile illi activo posito in antecedente quod dicitur esse propositio activa, sed ex isto non sequitur quod qualitercumque arguatur ab activa ad suam passivam sit consequentia bona; et ideo ista argumenta non procedunt. Ex prima enim propositione sequitur quod tibi promittitur denarius, et ex secunda sequitur quod ab omni homine videtur aliquis homo’ et sic de similibus.

Sed contra arguitur: promitto tibi denarium; ergo denarius tibi promittitur, vel valet consequentia per illam regulam vel non. Si valet, contra: per communem positionem notum est cuicumque intuenti quod potest esse quod promittam denarium quamvis nullus denarius sit in toto mundo et quamvis nullus denarius promittatur. Et si non valet ista consequentia, cum non possit fieri aliud consequens, sequitur quod regula adhuc indiget prolixiori glosa. Huic dicitur quod ista consequentia facta non valet, scilicet ‘promitto tibi denarium; ergo denarius tibi promittitur’.

Sed arguitur quod sic: ponatur gratia exempli quod aliquis nullum denarium tibi promittendo promittat tibi denarium, et postea solvat tibi denarium. Tunc arguitur sic: iste solvit tibi denarium; ergo solvit tibi denarium quem promisit vel denarium quem non promisit. Si solvit tibi denarium quem promisit, et solummodo solvit tibi A denarium; ergo promisit tibi A denarium; ergo A denarius fuit tibi promissus. Si solvit tibi denarium quem non promisit, arguitur tunc: iste promisit tibi unum denarium quem non solvit adhuc nec solvebat; ergo adhuc tenetur tibi solveere denarium promissum vel satisfacere pro denario tibi promisso, quia adhuc non satisfecit pro denario quem promisit. Si dicatur quod sic dicendo breviter quod satisfecit pro denario quem promisit, quia solvit A denarium per casum, contra tunc sequitur ‘satisfecit pro denario quem promisit; ergo aliquem denarium promisit’, et si sic, habetur

propositum; ideo si dicitur quod nullo modo satisfecit pro denario quem promisit, quia nullum promisit, tunc arguitur sic: iste promisit tibi unum denarium quem adhuc non solvit, nec aliquo modo satisfecit pro illo; ergo adhuc tenetur tibi solvere vel satisfacere pro denario promisso; ergo cum solverit unum denarium, ipse habet adhuc solvere alium, et eadem ratione tertium et sic deinceps, consequens falsum.

Similiter: postquam solvit illum denarium, verum est quod ipse solvit debitum et satisfecit pro debito, quia amplius non tenetur solvere aliquid tibi ceteris paribus, et nihil solvit nisi A denarium; ergo A denarius erat debitus, et non nisi quia fuit promissus; ergo A denarius erat promissus.

Ad haec respondetur, primo quando arguitur quod ista consequentia sit bona ‘promitto tibi denarium; ergo denarius tibi promittitur’, dicitur quod ista consequentia non valet.

Et ad probationem, quando ponitur casus ille, admittatur totus casus.

Et quando arguitur “iste solvit tibi denarium; aut igitur denarium quem promisit aut denarium quem non promisit”, dicitur quod solvit denarium quem non promisit.

Et ultra, quando arguitur “ergo ipse adhuc tenetur solvere denarium promissum”, dicitur quod consequentia non valet. Ipse enim in solvendo A denarium satisfecit pro illa promissione, licet non solverit denarium quem promisit, quia nullum promisit, ideo et cetera; breviter igitur ad formam negatur consequentia.

Ad aliud, quando arguitur quod ipse solvit debitum, dicitur quod hoc est falsum, nec satisfecit pro debito, quia nihil fuit debitum.

Contra: ipse tenebatur solvere aliquid; ergo aliquid fuit debitum sibi solvere, negatur consequentia. Ipse enim satisfecit pro ista promissione, non tamen pro debito, quia nihil tenebatur solvere, sed tenebatur solvere aliquid, jam tamen non tenetur quia satisfecit pro illa promissione ratione cujus ipse tenebatur solvere denarium, dicitur ergo quod non valet ista consequentia ‘promitto denarium; ergo denarius promittitur’.

Et quando arguitur in principali argumento concludendo quod ista regula glosata indiget ulteriori glosa, quia non potest ibi argui ad aliam propositionem, dicitur quod sic. Unde sic arguitur: promitto tibi denarium; ergo a me promittitur denarius, et illud consequens non habet aliquam objectionem sicut nec consequentia.

<Quintum sophisma<sup>27</sup>>

<Omnis homo qui est albus currit>

<91rb> Omnis homo qui est albus currit.

Quod non arguitur sic: aliquis homo albus est truncatus<sup>28</sup> pedes, et nullus talis potest currere; ergo et cetera.

Ad oppositum arguitur sic: ex tibi dubio aliquis homo albus currit, et nullus est homo albus quem scis non currere; ergo dubitas an omnis homo albus currat; ergo non habes negare quod omnis homo albus currit, nulla facta obligatione.

Ideo ad sophisma respondetur communiter ipsum dubitando. Verum tamen nullum argumentum factum probat quod sophisma est dubitandum. Ista consequentia enim non valet 'ex tibi dubio aliquis homo albus currit, et nullus est homo albus quem scis non currere; ergo dubitas an omnis homo qui est albus currat'. Potest enim esse quod scias omnem hominem album currere, vel saltem quod scias quod aliquis homo albus non currit, quamvis totum illud antecedens sit verum sic significando primarie et cetera.

Assumptum patet intuenti. Ponitur enim quod quemlibet hominem album scias currere, et quod scias quod isti homines sint omnes homines albi, sicut tu potes scire satis bene scientia communiter dicta, sicut tu scis quod rex Angliae est magnus dominus, et quod papa est sacerdos, et quod Roma est pulchra civitas, et sic de aliis consimilibus, quae non scis aliter nisi quod tu credis firmiter sic esse sine haesitatione aliqua et ita<sup>29</sup> est, et ideo scis, et isto modo loquitur Linconiensis de scire communiter primo Posteriorum capitulo secundo. Patet igitur quod cum illo antecedente assumpto stat quod scis quod omnis homo albus currit. Etiam cum eodem antecedente stat quod tu scis quod aliquis homo albus non currit. Potest enim esse quod bene scias quod aliquis homo albus non currit, licet nescias quis sit iste, sicut tu scis quod aliquod istorum duorum est verum, demonstratis istis duobus contradictoriis 'rex sedet', 'nullus rex sedet'; nescis tamen quid<sup>30</sup> istorum est verum. Ponatur autem hoc et tunc apparebit manifeste quod consequentia non valet.

Arguitur<sup>31</sup> tamen contra istam responsionem datam ad sophisma, quia<sup>32</sup> si dubitatur sophisma, vel scitur esse possibile vel dubitatur esse impossibile<sup>33</sup>. Si dicatur, sicut est dicendum, quod scitur bene quod ipsum non est impossibile significando primarie quod omnis homo qui est albus currit, contra arguitur quod illud sit impossibile ex tibi dubio sic: omnis homo qui est albus currit; ergo omnis homo qui est albus currit potest currere, sed ex tibi dubio consequens est impossibile. Nam ex tibi dubio non omnis homo qui est albus potest currere sicut homo qui est truncatus pedes, vel sic dispositus quod ipse nullo modo potest currere; ergo impossibile est<sup>34</sup> illum hominem album currere. Sed hoc sophisma significat omnem hominem album currere; ergo significat sicut impossibile est esse; ergo ipsum est impossibile

---

<sup>27</sup> V = édition incunable de Venise; P = édition incunable de Paris

<sup>28</sup> truncatus V: tronchatus P

<sup>29</sup> ita V: infra P

<sup>30</sup> quid corr.: quod PV

<sup>31</sup> arguitur V: dicitur P

<sup>32</sup> quia V: quod P

<sup>33</sup> impossibile V: possibile P

<sup>34</sup> est P: om.V

Aliter arguitur ‘omnis homo qui est albus currit; ergo aliquod currens potest esse homo qui est albus’, sed<sup>35</sup> arguitur quod non. Ponitur enim ex tibi dubio quod omnis homo albus sit dispositus sic quod nullo modo currere possit, tunc nullum currens potest esse homo qui est albus. Sed quod non potest esse non est possibile esse; ergo cum nullum currens possit esse homo qui est albus, sequitur quod<sup>36</sup> non est possibile aliquod currens esse hominem qui est albus. Sed hoc sophisma significat quod aliquod currens est homo qui est albus; ergo hoc sophisma est impossibile ex tibi dubio.

Ad haec respondetur primo ad primum negando hanc consequentiam ‘aliquis homo albus non potest currere, <91va> et aliquem hominem album impossibile est currere, et hoc sophisma significat quod omnis homo albus currit; ergo hoc sophisma significat sicut non potest esse’. Quamvis enim nullus homo qui est albus potest currere, potest tamen esse quod omnis homo qui est albus currit, sicut posito quod nullus homo currat, potest tamen esse quod aliquis homo currat. Ideo non valet ista consequentia sed est neganda sicut negatur.

Et ad aliud, quando arguitur quod si omnis homo qui est albus currit; ergo aliquod currens potest esse homo qui est albus, conceditur consequentia.

Et ulterius, quando arguitur quod nullum currens potest esse homo qui est albus, quia nullus homo qui est albus potest esse currens, huic dicitur quod hoc est possibile, sed ex isto non sequitur quod sophisma sit impossibile sic significando, sed solum sequitur quod sophisma pro tunc non sit verum.

Ideo ad formam argumenti ulterius, quando arguitur “nullus homo qui est albus potest currere, sed quod non potest currere non est possibile currere; ergo non est possibile aliquem hominem currere qui est albus”, negatur consequentia. Unde sicut non valet haec consequentia ‘nullus homo qui est albus potest esse; ergo non est possibile quod aliquis homo albus sit’, ita nec valet alia.

Et quod ultima non valeat satis patet intuenti. Posito enim quod nullus homo sit albus, tunc antecedens est verum et consequens falsum.

Sed contra: ex hac responsione<sup>37</sup> sequitur primo<sup>38</sup> quod omnis homo qui est albus currit, et tamen nullus homo qui est albus potest currere, quae sunt contradictoria vel antecedentia immediate ad contradictoria.

Et hoc arguitur sic: quia per istam responsionem, licet nullus homo albus sit, potest tamen esse quod omnis homo albus currit<sup>39</sup>. Ponatur igitur quod omnis homo albus currat licet nullus homo albus sit, et tunc arguitur sic: si nullus homo albus est; ergo nullus homo qui est albus potest currere.

Consequentia patet per priorem responsionem, et oppositum istius consequentis cum antecedente plane claudunt opposita; sequitur igitur quod illa consequentia sit bona, et antecedens est altera particula casus; ergo consequens sequitur ex casu. Sed ex alia parte casus sequitur quod omnis homo qui est albus currit; ergo stabunt ista simul quod nullus homo qui est albus potest currere, et tamen omnis homo qui est albus currit, quod erat probandum.

Etiam arguitur sic: ponatur quod omnis homo albus currat et quod nullus istorum potest<sup>40</sup> currere, demonstratis omnibus hominibus qui sunt et qui erunt in ista<sup>41</sup> die, et<sup>42</sup> quod iste

---

<sup>35</sup> sed V: et P

<sup>36</sup> cum nullum currens .... sequitur quod V: om.P

<sup>37</sup> ex hac responsione V: hanc responsionem P

<sup>38</sup> primo V: om.P

<sup>39</sup> currit V: currat P

<sup>40</sup> potest V: possit P

<sup>41</sup> ista corr.: isto PV

<sup>42</sup> et V: om.P

casus sit possibilis manifeste patet per istam responsionem, quia ipsa ponit quod quamvis nullus homo qui est possit currere, adhuc tamen potest esse quod omnis qui est albus<sup>43</sup> homo currit, quia adhuc possibile esset omnem hominem album<sup>44</sup> currere.

Ideo admisso casu illo, arguitur sic: omnis homo albus currit, et nullus est homo nisi aliquis istorum demonstratis omnibus hominibus qui sunt et qui erunt in ista<sup>45</sup> die; ergo aliquis homo istorum currit, sed per casum nullus istorum potest currere; igitur et cetera.

Consequentia patet, et assumptum arguitur sic, scilicet quod non est aliquis homo nisi aliquis istorum, quia si ista dies est; ergo nullus est homo nisi qui est vel qui erit in ista die, sed omnis homo qui est in ista die vel qui erit in ista die est aliquis istorum, ut apparet per casum, quia per ly 'istorum' demonstratur omnis homo qui est vel qui erit in ista die, sed omnis homo demonstratus per ly 'istorum' est aliquis istorum; ergo omnis homo est aliquis istorum.

Similiter arguitur sic: si aliquis sit homo qui non sit aliquis istorum, capiatur ille. Et tunc arguitur sic: iste non est aliquis istorum, sed omnis homo qui est in ista<sup>46</sup> die vel qui erit in ista<sup>47</sup> die est aliquis istorum; ergo iste non est nec erit in ista<sup>48</sup> die, et tamen ista dies est, sicut patet per casum in antecedente, quia sequitur <91vb> 'demonstro omnes homines qui sunt et qui erunt in ista<sup>49</sup> die; ergo ista dies est', et si sic, sequitur quod aliquis homo est qui non est nec erit in ista die, et tamen ista dies est, quod non est possibile.

Similiter: eadem ratione qua dicitur quod aliquis homo est qui non est aliquis istorum, posset dici quod nullus homo qui est est aliquis istorum, et tamen per ly 'istorum' demonstrantur omnes homines qui sunt et qui erunt in ista die, quod non est verum, et illud etiam sequitur contra responsionem datam. Ponitur enim quod omnis homo currit, et quod nullus istorum possit currere, demonstratis omnibus hominibus qui sunt vel qui erunt in aeternum, eadem ratione qua admittitur prior casus, scilicet quod omnis homo currit, licet nullus istorum possit currere, demonstratis et cetera, est iste admittendus, sicut manifeste patet intuenti; ergo si primus admittatur et iste admittetur. Sed admissio isto casu, sequitur ista conclusio, scilicet quod omnis homo currit, et tamen nullus homo qui<sup>50</sup> est aliquis istorum potest currere<sup>51</sup>, demonstratis omnibus hominibus qui sunt vel qui erunt in aeternum, quod videtur impossibile; igitur et cetera.

Ad haec respondetur primo ad primum, quando arguitur quod omnis homo albus currit licet nullus homo qui est albus possit currere, dicitur quod illud non est admittendum.

Et ad argumentum, quando arguitur quod sic, quia potest esse quod omnis homo albus currat licet nullus homo qui est albus possit currere, dicitur negando istam, quia significat quod possibile est quod omnis homo albus currat licet nullus homo qui est albus possit currere, hoc<sup>52</sup> est impossibile.

Et quando dicitur quod hoc ponit prior responsio<sup>53</sup>, dicitur quod non, sed ponit hanc propositionem, scilicet<sup>54</sup> 'nullus homo qui est albus potest<sup>55</sup> currere, potest tamen esse quod

---

<sup>43</sup> qui est albus V: om.P

<sup>44</sup> album V: om.P

<sup>45</sup> ista corr.: isto PV

<sup>46</sup> ista corr.: isto PV

<sup>47</sup> ista corr.: isto PV

<sup>48</sup> ista corr.: isto PV

<sup>49</sup> ista corr.: isto PV

<sup>50</sup> qui V: om.P

<sup>51</sup> potest currere V: om.P

<sup>52</sup> hoc V: et hoc P

<sup>53</sup> responsio V: casus P

<sup>54</sup> scilicet V: licet P

omnis homo qui est albus currat', et iste est sensus divisus, alius vero est sensus compositus. Per istam enim solum<sup>56</sup> denotatur quod quamvis nullus homo qui est albus possit currere, adhuc tamen est possibile quod omnis homo qui est albus currat, sicut quamvis tu sedeas vel non curras, adhuc tamen est possibile te currere. Alia tamen propositio est sensus compositus, et denotat quod illud totum est possibile, scilicet quod omnis homo albus currit, licet nullus homo qui est albus possit currere, et hoc est impossibile; et ideo non procedit argumentum, cum non admittatur ille casus.

Ad aliud, quando arguitur consimiliter illa propositio, scilicet quod omnis homo albus currit et quod nullus homo qui est albus potest currere, dicitur ut prius quod ista conclusio est impossibilis.

Et ad argumentum, cum ponitur ille casus, admittitur, et tunc negatur illa minor, scilicet quod nullus est homo nisi aliquis istorum, et dicitur quod illa est repugnans quamvis illa in rei veritate sit vera.

Et ad probationem consequentiae<sup>57</sup>, conceditur totum usque ad illam propositionem 'omnis homo qui est vel erit in ista die est aliquis istorum'. Dicitur enim quod ista est repugnans ut prior.

Et ad arguendum, quando arguitur "per ly 'istorum' demonstratur<sup>58</sup> omnis homo qui est vel qui erit in ista die demonstratus per ly 'istorum', et omnis homo demonstratus per ly 'istorum' est aliquis istorum; igitur et cetera", dicitur negando minorem, scilicet quod omnis homo demonstratus per ly 'istorum' est aliquis istorum.

Contra: tunc aliquis homo demonstratus per ly 'istorum' qui non est aliquis istorum, quis est igitur iste? Et quicumque detur, eadem ratione qua ipse non est aliquis istorum, unus alius etiam non est aliquis istorum, et sic de singulis, et sic sequitur quod nullus sit aliquis istorum, sicut arguitur in secundo argumento, et tamen per ly 'istorum' demonstrantur omnes homines. Huic dicitur quod hoc argumentum non probat quod in casu isto quod non est<sup>59</sup> aliquis homo nisi aliquis istorum, potest tamen indifferenter concedi vel negari haec propositio 'aliquis homo est aliquis istorum'. Haec enim consequentia non valet 'per ly <92ra> 'istorum' in hac propositione 'nullus istorum potest currere' demonstratur omnis homo qui est et qui erit; ergo aliquis homo est aliquis istorum'.

Sic enim arguendo potest probari quod tu es asinus si ista consequentia et iste modus arguendi valeret, quia tunc eodem modo valeret haec consequentia 'omne demonstratum per hoc pronomen 'hoc' est asinus; igitur hoc est asinus', sit rei veritas quod tu demonstreris. Quamvis enim tu demonstreris adhuc tamen est possibile quod omne demonstratum per hoc pronomen 'hoc' est asinus, sicut patet ex praedictis. Arguitur tunc sic: omne demonstratum per hoc pronomen 'hoc' in ista propositione 'hoc est asinus' est asinus; ergo hoc est asinus', ista consequentia est bona, et antecedens est possibile; ergo consequens est possibile; ergo possibile est quod hoc sit asinus, sed ex tibi dubio tu es hoc; ergo possibile est quod tu sis asinus, quod est impossibile. Ideo conceditur quod nec illud argumentum nec ille casus probant quod aliquis homo est aliquis istorum.

Et ideo ad tertium argumentum, respondetur admittendo casum illum, scilicet quod omnis homo currit et quod nullus istorum potest currere, demonstratis omnibus hominibus qui sunt vel qui erunt in aeternum.

---

<sup>55</sup> potest V: possit P

<sup>56</sup> solum V: om.P

<sup>57</sup> consequentiae V: om.P

<sup>58</sup> demonstratur V: demonstretur P

<sup>59</sup> est V: om.P



Et quando dicitur quod ex hoc sequitur quod isti sunt omnes homines qui sunt vel qui umquam erunt, et nullus homo est aliquis istorum, dicitur quos ista copulativa est mere impossibilis, quia claudit opposita.

Et quando arguitur quod nullus homo est aliquis illorum, dicitur quod hoc sequitur, et sequitur quod isti non sunt omnes homines, et sequitur quod isti non sunt nec erunt aliqui homines, sicut manifeste patet intuenti.

Et quando arguitur contra “omnes homines demonstrantur per ly ‘istorum’; ergo aliqua istorum demonstratorum sunt homines”, huic dicitur dubitando istam consequentiam. Accipiendo enim illum terminum ‘istorum’ demonstrative, certum est quod non valet consequentia tenendo illum terminum relative, prout refertur ad totum illud antecedens ‘homines demonstrati per ly ‘istorum’’, et non solum ad aliud terminum ‘istorum’, sic erit propositio vera et consequentia bona, et ulterius ex illo consequente nullo modo sequitur quod aliquod aliquid istorum est homo.

Sed dicitur forte contra hanc responsionem cum non occurrant argumenta quod ista positio omnino voluntaria est nec adducit rationem nec auctoritatem pro suo fundamento, immo est contra multas auctoritates, quia ista responsio habet negare quodlibet argumentum ab universali ad suam singularem, ubi est ita quod universalis est necessaria, et singularis contingens, quod apparet contra Aristotelem primo Priorum et secundo. Et etiam videtur esse contra Aristotelem primo Posteriorum, ubi docet quod demonstratio universalis est melior et potior demonstratione particulari, quia scita universali scitur etiam singularis, sed non e contra. Ex hoc enim apparet quod velit consequentiam ab universali ad singularem valere, cujus oppositum ponit haec responsio. Unde pro istis respondetur probando primo quod ista stant simul, scilicet quod omnis homo currit, et tamen nullus istorum potest currere, demonstratis omnibus hominibus qui sunt, et demonstrantur gratia exempli omnes homines qui sunt et qui erunt. Et arguitur sic faciendo istam consequentiam<sup>60</sup> ‘omnis homo currit; ergo aliquis istorum currit’, vel igitur ista consequentia est bona vel non. Si sit bona; ergo quandocumque erit ipsa vel alia, sic praecise significans ipsa bona erit.

Et arguitur quod non: quia sequitur ‘aliquis istorum currit; igitur isti sunt’, et si sic, sequitur ‘isti non possunt esse; ergo nullus istorum potest esse’, sed cras erit ita quod isti non sunt nec possunt esse.

Probo<sup>61</sup> quia ante crastinam<sup>62</sup> diem corrumpetur aliquis istorum, et quandocumque<sup>63</sup> aliquis istorum non erit, isti non erunt; ergo cras erit ita quod isti non possunt esse, cum physice loquendo non possunt esse si ipsi non sunt postquam fuerunt; sequitur igitur quod cras erit ipsum antecedens possibile, scilicet ‘omnis <92rb> homo currit’, et illud consequens impossibile, scilicet ‘<ergo> aliquis istorum potest currere’ vel ‘ergo aliquis istorum currit’; ergo tunc non valebit ista consequentia, scilicet ‘omnis homo currit; ergo aliquis istorum currit’, et si sic; ergo nunc non valet, cum nunc significet sicut etiam tunc significabit, ut pono. Si ergo ista consequentia non valet sic significando; ergo stabit oppositum consequentis cum antecedente; ergo ista stabunt simul ‘omnis homo currit’ et ‘nullus istorum currit nec potest currere, demonstratis omnibus hominibus qui sunt et qui erunt’.

Quantum ad illud quod haec responsio est contra multas auctoritates Aristotelis, scilicet primo Priorum et secundo, et primo Posteriorum et frequenter in aliis locis contra alias auctoritates aliorum, huic<sup>64</sup> dicitur quod haec responsio multas auctoritates potest habere et habet pro se. Sed nulla est auctoritas contra eam si bene intelligatur, sicut apparebit respicere volenti libros

---

<sup>60</sup> faciendo istam consequentiam V: om.P

<sup>61</sup> probo V: om.P

<sup>62</sup> crastinam corr.: crastinum PV

<sup>63</sup> quandocumque: nunc add.P

<sup>64</sup> huic V: hic P

prius allegatos vel alios de materia illa. In primo enim Priorum Philosophus ponit expresse quod numquam ex necessario sequitur contingens, nec ex possibili sequitur impossibile, ex quo immediate potest haberi quod ex universali necessaria non sequitur contingens singularis. Illud etiam potest haberi primo Perihermeneias ab Aristotele et in multis aliis locis, ideo et cetera.

Et super hoc adverte quod non est concedendum, posito isto casu, quod omnis homo albus currit et<sup>65</sup> quod iste homo albus currit, licet in rei veritate demonstretur homo albus. Si tamen supponitur illud sophisma, et deinde proponitur ‘iste homo albus currit, demonstrato homine albo’, nisi sciatur quod ipse sit albus, et<sup>66</sup> quod ipse currat, dubitanda est ista propositio, quoniam dubia est in rei veritate, et nullo modo sequitur ex sophismate nec ex aliquo adhuc supposito. Ex hoc enim quod opponens demonstrat hominem album, non sequitur quod iste homo albus currat nec illa propositio singularis sequitur ex illis duobus, scilicet ex sophismate et ex demonstratione illa, quia non sequitur ‘omnis homo albus currit, et demonstro hominem album; ergo iste homo albus currit’. Sed forte hoc consequens repugnat illi antecedenti, quia si sit rei veritas quod iste homo est albus, et quod iste est sic dispositus quod ipse non potest currere, tunc notum est quod illud antecedens et illud consequens repugnant; ideo quacumque tali singulari proposita, ipsa est neganda vel dubitanda nisi ipsa sciatur esse vera. Unde nulla singularis talis est magis concedenda quam si nullus casus poneretur, nisi supponatur aliquid de aliquo singulari.

Praeterea arguitur ad sophisma sic: si omnis homo albus currit, et omne quod currit vel incipit vel incipiet<sup>67</sup> currere; ergo omnis homo albus incipit vel inceptit currere.

Et arguo quod non sequitur ad hoc quod homo albus currat, quod ipse incipiat vel inceptit currere.

Probo: quia aliquis homo albus curret qui adhuc non currit, et ipse nec inceptit<sup>68</sup> currere nec incipiet currere.

Quod arguitur sic: quia ponatur quod Socrates aliquando erit albus et quod curret, tunc et currit et currebat per tempus terminatum ad instans praesens, et quod iste non sit albus. Isto posito, proponitur ‘iste homo albus curret’. Et notum<sup>69</sup> est quod ista sequitur: quia casus est quod curret quando erit albus. Et arguitur tunc quod ipse non incipit currere, sicut apparet manifeste ex casu, nec incipiet currere. Ponitur enim quod continue curret quousque<sup>70</sup> sit albus, et ultra quousque corrumpatur.

Si dicitur pro isto quod prima propositio sit neganda, ista scilicet ‘iste homo albus curret’, quia ista implicat quod iste homo est albus quod est contra casum, ideo et cetera<sup>71</sup>, contra: ex ista responsione sequitur quod nullus homo albus potest esse nisi qui est homo albus. Etiam sequitur, posito quod nunc non foret aliquis homo albus, sed quod cras quilibet homo foret albus, quod nullus homo albus erit, et sequitur quod nullus homo albus fuit licet viginti aut mille fuissent homines albi, et quod nullum album erit homo quorum quodlibet est <92va> manifeste falsum. Consimiliter etiam sequitur ex eadem responsione quod nullus homo potest generari et quod nullus homo generabitur et sic de talibus infinitis quorum quodlibet est falsum, nec est aliquod fundamentum quod moveret aliquem ad ponendum illa si bene discurratur. Haec tamen ponuntur frequenter, et adhuc aliqua majora. Sed ista responsio est

---

<sup>65</sup> et V: om.P

<sup>66</sup> et V: etiam P

<sup>67</sup> incipiet V: inceptit P

<sup>68</sup> inceptit V: incipit P

<sup>69</sup> notum V: notandum P

<sup>70</sup> quousque P: usquamquo??? V

<sup>71</sup> ideo et cetera V: om.P

solum responsio voluntaria; ideo supponitur modus loquendi Philosophi, ubi concluditur et vult ex intentione quod termini communes supponentes respectu verbi de futuro vel de praeterito vel verbi ampliatiui possint supponere pro futuris et pro praeteritis et pro his quae possunt esse sicut pro his de praesenti. Hoc etiam apparet ratione quam si jam sit ita quod album est, prius fuit ita quod album erit. Et eodem modo si aliquando erit quod hoc album currit; ergo jam est ita quod hoc album curret, et ista propositio ‘iste homo albus curret sic praecise significat; ergo ista est propositio vera<sup>72</sup>.

Ideo forte conceditur, sicut est concedendum, quod iste homo albus curret. Et ulterius etiam conceditur ista conclusio, scilicet quod iste homo albus non incipit currere nec incipiet currere, et tamen<sup>73</sup> curret et jam non currit.

Et ulterius, quando arguitur “ergo non requiritur ad hoc<sup>74</sup> quod aliquis homo albus currat quod ipse incipiat currere vel prius incepisset currere”, dicitur negando consequentiam. Sequitur enim ‘homo albus currit; ergo ipse incipit currere vel prius incepit currere’.

Quod statim probari potest sic: quia si jam est ita quod hoc currit, demonstrato isto homine, et aliquando non fuit ita, capiatur ergo totum tempus antequam fuit ita et totum tempus postquam fuit ita, et sequitur quod in isto instanti medio ista homo albus incepit currere sive tunc fuit albus sive niger, de isto non est cura.

Sed contra: ex hac responsione sequitur ista conclusio, videlicet quod iste homo albus non incipit<sup>75</sup> currere, nec umquam incipiet currere, nec umquam incepit currere, et aliquando tamen post istud instans quod nunc est praesens erit ita quod iste homo albus incipit currere ante illud instans. Huic dicitur breviter concedendo conclusionem, sicut satis sequitur ex casu.

Et si arguitur contra istam sic: jam est verum in hoc instanti quod iste homo albus non incipit nec umquam incepit currere; ergo numquam post hoc instans praesens erit ita quod iste homo albus incepit currere ante hoc instans, eodem demonstrato, negatur consequentia.

Sed contra arguitur forte sic: si iste homo albus non incepit currere ante hoc instans, et nihil potest esse ante hoc instans quod non prius fuit ante instans; ergo iste homo albus non potest incipere currere ante hoc instans. Et tunc arguitur ulterius sic: iste homo albus non incepit currere nec potest incipere currere ante hoc instans; ergo numquam post hoc instans potest esse ita quod iste homo albus incepit currere ante hoc instans, et si sic; ergo numquam post hoc instans erit ita quod iste homo albus incepit currere ante hoc instans. Sed pro isto dicitur negando consequentiam penultimam, hanc scilicet ‘iste homo albus non potest incipere currere ante hoc instans, nec umquam incepit currere ante hoc instans; ergo non potest esse post hoc instans<sup>76</sup> quod iste homo albus incepit currere ante hoc instans’. Antecedens enim est verum et consequens falsum in casu posito; ideo et cetera.

Sed contra hoc arguitur sic: qua ratione conceditur quod iste homo curret et non incipit nec incepit nec incipiet currere, debet etiam concedi quod continue erit ita quod iste homo albus incipit currere, et tamen iste homo albus numquam incipiet currere, quod claudit opposita in proposito.

Et consequentia arguitur sic: quia dicitur quod iste homo albus curret, quia iste curret, et iste erit albus. Sed ex isto arguitur quod iste homo albus incipit <92vb> currere, quia iste homo albus non currit, quia non est albus, et immediate post hoc iste homo albus curret; ergo iste homo albus incipit currere. Sed si conceditur consequens in instanti praesenti, eadem ratione deberet concedi in quolibet instanti, et pro quolibet instanti quousque erit iste albus, supposito

---

<sup>72</sup> ergo ista propositio est vera V: ergo et cetera P

<sup>73</sup> tamen V: om.P

<sup>74</sup> non requiritur ad hoc V: non sequitur P

<sup>75</sup> incipit V: incepit P

<sup>76</sup> instans V: ita P

priori casu semper, et<sup>77</sup> tunc sequitur quod aliquando erit ita quod iste homo albus incipit currere quando iste homo albus non incipiet currere, quod claudit opposita, sicut prius dicebatur; ideo [si] negatur ista consequentia vel antecedens istius.

Pro illa consequentia arguitur: ibi arguitur ab exponentibus ad expositum; ergo et cetera.

Pro antecedente arguitur sic: iste homo albus non currit, quia iste homo non est albus.

Si negatur ista consequentia dicendo quod consequens implicat quod iste homo albus sit et non currat, contra: ex hoc sequeretur quod hoc implicaret 'album non currit'.

Si negatur consequentia, contra: tunc fiat argumentum illud cum ista propositione<sup>78</sup> 'album non currit' sicut prius fiebat cum alia, et sequitur eadem difficultas sic arguendo: nullum album jam currit, et immediate post hoc aliquod album curret; ergo aliquod album incipit currere.

Ideo pro isto argumento forte dicitur negando minorem propositionem, illam scilicet 'immediate post hoc aliquod album curret', quia non immediate post hoc curret aliquid quod immediate post hoc erit album.

Sed contra responsionem istam arguitur sic: ex ista sequitur quod aliqua propositio vera et affirmativa de praeterito cujus veritas nullo modo dependet a futuro incipiet esse falsa.

Si dicitur pro isto ut prius concedendo hanc conclusionem, sicut erat probatum de istis propositionibus 'Socrates fuit tantus sicut fuit Plato' et 'Socrates fuit omnis homo Romae', et sic de talibus quarum quaelibet in casu possibili prius fuit vera sic significando, et tamen est quaelibet talis modo falsa, sicut prius arguebatur esse possibile, contra: adhuc ex priori responsione sequitur quod propositio simplex, scilicet de simplici subjecto et simplici praedicato vera et affirmativa de praeterito cujus veritas nullo modo dependet a futuro incipit esse falsa significando sic praecise, ut prius quando fuit vera, quia secundum istam responsionem nisi aliquid quod sit album, vel<sup>79</sup> quod erit album in A instanti erit in A instanti, nullum album erit in A instanti; ergo eadem ratione si nihil quod est album fuit nigrum, sequitur quod nullum album fuit nigrum, quia nihil fuit simul album quando ipsum fuit nigrum. Ponatur ergo quod jam aliquid sit album quod prius fuit nigrum, et quod ipsum incipiat esse non album, et sit gratia exempli quod nihil sit album quod fuit nigrum nisi hoc vel pars ejus, nec erit aliquod tale per totam hanc horam, et ponatur etiam quod quaelibet pars ejus desinat esse alba. Isto posito, sequitur tunc ista conclusio, scilicet quod haec propositio simplex vera et affirmativa 'album fuit nigrum' jam incipit esse falsa sic significando. Ponatur enim quod illa propositio sit et erit continue sic significando.

Quod hoc sequatur arguitur sic: immediate ex ista responsione prius posita <sequitur>, quia jam ista propositio 'album fuit nigrum' fuit vera et est vera, quia quod est album fuit nigrum, et immediate post hoc erit falsa, quia immediate post hoc non erit ita quod album quod est fuit nigrum, nec potest esse ita quod aliquid fuit album in eodem instanti in quo ipsum fuit nigrum, sed ista propositio praecise significat secundum datam responsionem quod album quod est fuit nigrum, vel quod fuit album quando ipsum fuit [album fuit<sup>80</sup>] nigrum; ergo cum illa disjunctiva immediate post hoc erit falsa, sicut jam probatum est, sequitur quod illa propositio sic significando praecise immediate post hoc erit falsa.

Sed forte dicitur ad hoc quod non sequitur conclusio illa proposita, quia haec propositio de qua arguitur, scilicet 'album <93ra> fuit nigrum' non est propositio simplex, quia convertitur cum tali disjunctiva quae est multum composita, sicut patet in argumento facto.

Sed contra: ex ista responsione sequitur quod nulla propositio affirmativa vel negativa de praeterito ubi saltem supponitur terminus communis sit simplex, quia non illa 'homo fuit', nec

---

<sup>77</sup> et V: om.P

<sup>78</sup> propositione V: propositione? P

<sup>79</sup> vel: aliquid add.P

<sup>80</sup> album fuit V: om.P

illa ‘album fuit’, et sic de aliis talibus, quia prima illarum significat quod homo qui est vel qui fuit, fuit, et secunda significat quod album quod est vel quod fuit, fuit; si ergo propositio non sit simplex, quia sua convertibilis non sit simplex, sequitur quod nulla propositio talis erit simplex, quod non est verum.

Ideo forte dicitur aliter in primo negando illam propositionem minorem ut prius, sed aliter respondetur dicendo ulterius, scilicet quod ex hac propositione ‘immediate post hoc iste homo albus curret’ formaliter sequitur quod iste qui est homo albus immediate post hoc curret, vel iste qui immediate post hoc erit albus immediate post hoc curret, ex ista propositione tamen ‘homo albus curret immediate post hoc’ non sequitur ista disjunctiva formaliter, nec aliter quam sicut ex impossibili. Non enim est possibile quod aliquid curret immediate post hoc, nec quod aliquid erit immediate post hoc, sicut patuit alias.

Ideo forte dicitur ponendo hanc responsionem quod non sequitur aliquod inconueniens prius tactum. Et ista responsio satis videtur conformari communi modo loquendi, quia in aliis consimilibus videtur tenere huiusmodi consequentia, quia sequitur ut apparet ‘tunc rex erit Londonis, cras cancellarius praedicabit; ergo qui est rex vel qui tunc erit rex erit Londonis et qui est cancellarius vel qui cras erit cancellarius praedicabit’, ‘hodie episcopus veniet ad villam; ergo qui est episcopus vel qui hodie erit episcopus hodie veniet ad villam’, et cetera.

Sed contra hoc arguitur sic: si rex erit tunc Londonis; ergo tunc rex erit Londonis, similiter si cancellarius praedicabit cras; ergo cras cancellarius praedicabit, si episcopus hodie veniet ad villam; ergo hodie episcopus veniet ad villam. Ista conclusiones satis apparent ex communi modo loquendi, si ergo ex illis consequentibus ad illas disjunctivas prius argutas valeat consequentia, et quicquid sequitur ad consequens sequitur ad antecedens; ergo consimiliter eadem disjunctivae sequuntur ad ista antecedentia. Ex quibus sequitur ista conclusio ‘quicquid sequitur ergo ex ista propositione ‘tunc rex erit Londonis’ sequitur <ex><sup>81</sup> ista ‘rex erit tunc Londonis’.

Ideo forte dicitur negando istam consequentiam, sicut oportet secundum istam responsionem, ‘rex erit tunc Londonis; ergo tunc rex erit Londonis’, ‘cancellarius praedicabit cras; ergo cras cancellarius praedicabit’.

Contra: ex hoc sequitur quod cancellarius praedicabit cras, et tamen bis centum annis nullus cancellarius praedicabit, etiam quod rex cras erit Londonis, et tamen cras nullus rex erit Londonis<sup>82</sup>, tunc quilibet rex erit Scotiae, et sic de talibus multis quae non apparent vera. Ideo aliter respondetur: ad primam consequentiam, scilicet ‘iste homo albus non currit, et immediate post hoc iste homo albus curret; ergo iste homo albus incipit currere’, dicitur negando consequentiam, quia licet incipiat homo albus currere, non propter hoc sequitur quod homo albus incipiat currere. Ad hoc enim quod iste homo albus incipiat currere, requiritur quod iste homo incipiat currere, demonstrando istum hominem album<sup>83</sup>; ideo sicut non valet ista consequentia ‘iste homo incipit esse currens album<sup>84</sup>; ergo iste homo incipit esse currens’, sic nec valet ista consequentia ‘iste homo albus non currit, et immediate post hoc iste homo albus curret; ergo iste homo albus incipit currere’. In casu enim posito foret antecedens verum continue vel saltem quando iste homo non foret albus <93rb> et inciperet esse albus, et consequens falsum; ideo et cetera.

Sed forte adhuc arguitur quod haec responsio est diminuta vel falsa, quoniam adhuc cum hac responsione stant eadem inconuenientia quae prius fuerant arguta<sup>85</sup>, scilicet quod cancellarius praedicabit cras, et tamen bis centum annis non praedicabit aliquis cancellarius. Et album

---

<sup>81</sup> sequitur: ex add.P

<sup>82</sup> Londonis: immo add.P

<sup>83</sup> demonstrando istum hominem album V: om.P

<sup>84</sup> album: om.P

<sup>85</sup> quae prius fuerant arguta V: om.P

videbitur a te per totum istam<sup>86</sup> diem, et tamen in isto mense non erit aliquod album visum a te, et sic de talibus.

Ad illud dicitur concedendo istas conclusiones jam tactas, dicitur tamen quod istae non sunt eadem cum illis prius quae prius sequebantur contra responsionem aliam. Conclusiones enim prius argutae sunt istae ‘rex erit tunc Londonis et tamen tunc nullus rex erit Londonis’, ‘cancellarius praedicabit cras, et tamen cras nullus cancellarius praedicabit’ et sic de talibus quae satis apparent impossibiles, nec sunt istae convertibiles cum illis praeconcessis. Istae enim non convertuntur ‘cras nullus cancellarius praedicabit’ et ‘cras non praedicabit aliquis cancellarius’, nec istae ‘tunc nullus rex erit Londonis’ et ‘tunc non erit Londonis aliquis rex’, sicut nec istae ‘heri Socrates albus non fuit’ et ‘heri non fuit Socrates albus’. Posito enim quod Socrates sit albus et quod heri fuit et quod numquam fuerit albus, est prima falsa et secunda vera, et consimile est de aliis prius tactis.

Aliter arguitur ad principale probando sophisma esse impossibile, quia non est possibile quod aliquis homo sit albus, et<sup>87</sup> sophisma significat quod aliquis homo sit albus; ergo et cetera.

Assumptum arguitur: quia si aliquis homo possit esse albus et ad hoc quod aliquid sit album requiritur quod quaelibet pars quantitativa illius sit alba, sequitur tunc quod alicujus hominis posset quaelibet pars quantitativa esse alba, consequens est falsum, quia nec sanguis nec quaelibet pars carnis, sicut satis patet.

Ideo pro isto forte dicitur quod non requiritur quod quaelibet pars hominis albi sit alba, sed sufficit quod pars major quam medietas ejus sit alba ad hoc quod totus iste homo sit albus; dato igitur quod una medietas Socratis possit esse alba et etiam pars Socratis major sua medietate, ut dicitur, concedi potest quod Socrates potest esse albus.

Sed contra: adhuc<sup>88</sup> sicut prius non quaelibet pars istius medietatis potest esse alba sicut non potest quaelibet pars totius hominis; ergo qua ratione non potest esse albus secundum se totum, ita nec potest ista medietas secundum se totam esse alba. Et si sic, cum ad hoc quod Socrates sit albus requiratur quod sua pars major medietate Socratis sit alba secundum se et quamlibet sui partem; ideo Socrates non potest esse albus.

Ideo forte dicitur, sicut est dicendum, quod ad hoc quod Socrates sit albus non requiritur quod quaelibet istius pars sit alba, nec etiam quod major pars ejus quam medietas sit alba secundum se, et quamlibet sui partem, sed sufficit quod superior medietas Socratis sit alba secundum suas partes extrinsecas, ita quod ad quemlibet punctum extrinsecae superficiei superioris medietatis vel forte faciei Socratis terminetur albedo sufficiens ad denominandum aliquid esse album. Dicitur enim juxta communem modum loquendi quod homo est albus eo quod pellis suae faciei est alba, non obstante quod partes interiores illius faciei non sint albae.

Sed contra hanc responsionem: sequitur quod Socrates est albus et Plato est niger, et tamen Plato habet majorem partem albam secundum se, et quamlibet sui partem quam habet Socrates, et hoc est concedendum, ut posito quod Socrates solum habeat faciem albam, Plato vero faciem nigram, sed tamen habeat pedes albos valde vel aliquam aliam magnam partem quam esse albam non requiritur ad hoc quod ipse sit albus. Ex ista responsione etiam sequitur quod Socrates non est albus et <93va> Socrates<sup>89</sup> erit albus, et tamen continue remittetur tota et maxima albedo<sup>90</sup> secundum se<sup>91</sup> quamlibet sui partem. Ad hoc enim quod Socrates sit albus non sufficit quod aliqua pars extrinseca faciei suae sit alba, sed requiritur quod tota facies

---

<sup>86</sup> istam corr.: istum V

<sup>87</sup> et: illud add.P

<sup>88</sup> adhuc V: ad haec P

<sup>89</sup> Socrates V: om.P

<sup>90</sup> albedo: Socratis add.P

<sup>91</sup> se: et add.P

Socratis sit alba, vel saltem pars major medietate istius faciei. Ponitur ergo quod una pars faciei ejus minor medietate ejusdem sit modo alba, et quod ejusdem partis albae tota albedo continue remittatur secundum se totam per aliquod tempus et per idem tempus rarefiat ista pars faciei alba quousque extendatur illa pars per totam faciem Socratis ita tamen quod ipsa existente alba extendatur ipsa per totam faciem Socratis. Quo posito, sequitur conclusio proposita, quia in fine horae ceteris partibus Socrates erit albus, et tamen maxima albedo Socratis erit remissior quam modo est. Sit gratia exempli quod illa pars sic rarefacta sit maxima pars alba vel in qua aedequate extenditur albedo. Ideo juxta communem modum loquendi jam concessum, scilicet quod omnis homo cujus facies est alba, est albus, conceditur conclusionem istam esse possibilem.

Sed contra istam conclusionem sic arguitur: si nunc Socrates non sit albus et continue quaelibet pars Socratis alba et per totam hanc horam remittetur secundum se et quamlibet ejus partem, et nulla albedo de novo intendetur; ergo nulla pars Socratis secundum se totam albefiet in hac hora, et si sic; ergo facies Socratis non albefiet in hac hora<sup>92</sup> secundum se et quamlibet sui partem<sup>93</sup>. Et tunc arguitur sic: facies Socratis jam non est alba secundum se et quamlibet ejus partem nec in hac hora albefiet secundum se et quamlibet ejus partem; ergo in hac hora tota non erit facies Socratis alba secundum se et quamlibet ejus partem, et si sic, cum Socrates non sit albus nisi ejus facies sit alba secundum se et quamlibet ejus partem, sequitur quod Socrates non erit albus in tota ista hora, nec in fine ejusdem, cujus oppositum dictum est superius.

Ideo pro isto dicitur negando hanc consequentiam de forma 'facies Socratis jam non est alba secundum se totam et quamlibet ejus partem, et non albefiet secundum se et quamlibet ejus partem; ergo non erit alba secundum se et quamlibet ejus partem, quia posset esse, sicut dicebatur in casu praedicto, quod aliqua pars Socratis foret alba <et> aliqua non alba et quod pars non alba albefieret, et quod alia non intenderetur nec diminueretur. Quo posito, in fine foret ista facies alba secundum se et quamlibet partem istius, et jam non est alba nec albefiet; et ideo non valet consequentia facta. Sed qualitercumque sit de ista consequentia, non tamen concedendum est quod facies Socratis poterit esse alba secundum se et quamlibet ejus partem, quia notum est quod aliquae sunt partes interiores faciei quae non possunt esse albae, sicut sanguis, nervus et ossa, sicut prius dictum est de partibus Socratis. Ideo non conceditur in casu posito quod in fine hujus horae erit facies alba secundum se et quamlibet ejus partem, sed quod tunc cujuslibet partis extrinsecae faciei istius erit pars aliqua extrinseca alba.

Et quando arguitur quod non, quia nulla pars quantumcumque modica albefiet secundum se et quamlibet ejus partem; ergo cum jam non cujuslibet partis extrinsecae sit aliqua pars extrinseca<sup>94</sup> alba, nec in fine horae erit cujuslibet partis extrinsecae aliqua pars alba, negatur consequentia, quia istae partes quae modo sunt albae, licet modo non sint extrinsecae partes respectu totius faciei, tamen in fine istius horae erunt extrinsecae respectu totius faciei, sicut satis apparet per casum positum, et si arguitur adhuc ex ista responsione, sequitur quod continue aliquid albefiet cujus quaelibet albedo continue remittetur per eandem horam, quia ad hoc quod facies Socratis sit alba non requiritur quod cujuslibet partis extrinsecae sit aliqua pars extrinseca alba, quia tunc sequitur quod quantumcumque modica pars extrinseca alicujus faciei foret nigra quod illa facies non foret alba, consequens falsum et contra communem modum <93vb> loquendi. Arguitur ergo sic: in aliquo instanti ante finem hujus horae haec facies Socratis erit alba antequam quaelibet talis pars ejus extrinseca erit alba, et continue ab isto instanti usque ad finem horae albefiet ista facies; ergo continue erit major, et major pars alba quam prius fuit et cetera. Et etiam continue remittetur omnis albedo in aliqua parte alba;

---

<sup>92</sup> hora corr.: hore V

<sup>93</sup> et si sic ergo facies ... sui partem V: om.P

<sup>94</sup> extrinseca corr.: extrinsece V: om.P

ergo sequitur conclusio. Huic dicitur quod ista conclusio est satis possibilis illo modo loquendi admissio, sed tamen ista conclusio non sequitur in casu isto posito, nisi cum hoc ponatur quod proportionabiliter velocius rarefiat pars alba quam ipsa remittat in albedine. Posset enim ita tarde rarefieri pars alba et ita velociter remitti pars ipsa eadem quod facies ista a primo instanti in quo foret alba continue foret minus alba et minus, non obstante quod continue majoraretur pars alba in quantitate.

Sed forte ex ista responsione arguitur quod nullus homo posset esse summe albus, vel quod aliquis homo foret albior aliquo homine summe albo, quod est impossibile.

Et consequentia arguitur sic: quia si aliquis homo posset esse summe albus, aut igitur requireretur tunc quod quaelibet pars illius hominis foret summe alba, aut sufficeret quod cujuslibet partis extrinsecae suae faciei aliqua pars extrinseca foret summe alba, non primo modo, quia hoc foret impossibile, sicut prius dictum est frequenter. Infinitae sunt enim partes hominis quarum nulla potest esse alba; ergo a multo fortiori non possunt esse summe albae. Ideo si dicitur quod secundo modo erit, arguitur contra adhuc sicut prius: vel requiritur quod quaelibet pars talis faciei foret tunc summe alba vel non. Si sic, sequitur quod non tantum sufficit pars summe alba ad denominandum totam faciem esse summe albam sicut sufficit pars remisse alba ad denominandum totam faciem esse remisse albam, quod non videtur verum, quia qua ratione propter unam partem summe albam denominatur totus homo summe albus, cum non quaelibet pars ejus poterit esse summe alba, igitur etiam similiter videtur quod poterit facies ejus dici et esse summe alba, quamvis non quaelibet pars ejus talis extrinseca foret summe alba. Ideo forte dicitur et conceditur quod totus homo est summe albus, et sua facies quamvis non cujuslibet partis extrinsecae suae faciei sit aliqua pars extrinseca summe alba.

Sed forte tunc ex isto arguitur quod iste homo adhuc posset esse albior quam tunc est, quia posito quod major pars faciei foret summe alba, tunc forent iste homo et etiam ista facies sua albiores quam modo sunt, quia tunc, sicut prius tactum est, ista facies foret albior, eo quod haberet majorem partem albam summe quam prius; ergo et cetera.

Similiter sic arguitur: tunc haberet ille homo albedinem totam quam nunc habet, et aliquam additam; ergo foret albior quam prius; incipiat igitur pars major fieri summe alba, et sequitur quod totus homo erit albior quam prius, et ipse prius fuit summe albus; igitur et cetera.

Pro isto, quando arguitur quod nullus homo potest esse summe albus, dicitur gratia disputationis quod sic, non tamen credo hoc esse verum.

Et ad argumentum, quando arguitur quod si aliquis homo posset esse summe albus sequitur quod ipse posset fieri adhuc magis albus, dicitur quod non.

Et quando quaeritur<sup>95</sup> numquid requiritur quod cujuslibet partis extrinsecae faciei vel totius hominis aliqua pars extrinseca sit alba, dicitur quod requiritur saltem quod cujuslibet partis extrinsecae faciei suae sit aliqua pars extrinseca alba.

Et tunc ad argumentum, quando dicitur quod tunc non tanta pars summe alba sufficit ad denominandum faciem esse summe albam, sicut sufficit pars remisse alba ad denominandum faciem remisse albam, <94ra> conceditur conclusio, immo pars major summe alba requiritur ad denominandum aliquid esse summe album quam pars remisse alba ad denominandum aliquid esse remisse album, et ita non procedit illud argumentum<sup>96</sup>.

Sed adhuc forte contra arguitur quod talis non foret summe albus quantumcumque ejus facies esset summe alba, quia si tunc una cum tota facie summe alba foret adhuc alia pars corporis summe alba, totus ille homo esset albior quam prius, quia tunc haberet majorem albedinem quam prius; igitur et cetera. Huic dicitur negando consequentiam, quia illum hominem esse magis album vel minus album non attenditur penes hoc quod homo ille habeat majorem

---

<sup>95</sup> quaeritur V: dicitur P

<sup>96</sup> et ita non procedit illud argumentum V: om.P



partem vel minorem, sed eo quod talis pars certa puta facies vel pellis sua extrinseca fuit minus alba vel magis alba; ideo si talis pars dicitur summe alba et totus homo dicitur summe albus si remisse alba dicitur totus homo remisse albus, sed tamen ad hoc quod aliquis homo foret summe albus, melius diceretur quod requiritur quod cujuslibet partis extrinsecae foret aliqua pars extrinseca summe alba, et illud forte non est possibile; et ideo dicitur quod non est possibile quod aliquis homo sit summe albus. Verumtamen satis potest sustineri gratia disputationis quod sic; et ideo non oportet illud negare, nisi illud petant argumenta seu aliqua prius concessa vel posita.

Praeterea: si aliquis homo posset esse<sup>97</sup> albus, tunc vel foret dare minimum gradum qui sufficeret ad hoc quod aliquis homo foret albus, vel maximum qui non sufficeret. Si detur minimus, tunc sequitur quod aliquid esset ita remisse album sicut aliquid potest esse, consequens falsum, quia illud vel haberet aliquem gradum ultra gradum medium vel non. Si sic, cum quilibet gradus ultra medium sufficit ad hoc quod aliquid sit album; ergo vel aliquis foret gradus immediatus gradui medio vel nihil foret ita remisse album aliquo gradu ultra medium sicut aliquid potest esse, consequentia apparet, et prima pars disjunctivae consequentis est impossibilis; ergo et cetera.

Ideo pro isto forte dicitur, sicut est dicendum, quod est dare maximum gradum qui non sufficit ad hoc quod aliquid sit album, et ille est gradus medius.

Sed arguitur quod non: quia sequitur tunc quod si aliquid debeat albefieri quod nunc non est album, quod<sup>98</sup> ipsum prius habebit gradum illum medium antequam ipsum erit album, consequens falsum.

Et consequentia arguitur sic: quia si aliquod tale erit album quod modo non est album, et illud non erit album antequam habuerit aliquem gradum ultra medium, et prius habebit medium quam aliquem ulteriorem; ergo ipsum non erit album antequam habuerit illum gradum medium.

Et arguitur quod sic. Ponatur enim quod Socrates debeat albefieri ab aliquo extrinseco incipiendo a partibus exterioribus, scilicet per partem ante partem in infinitum. Quo posito, sequitur quod Socrates non prius habebit gradum medium quam ipse erit albus, quia non est dare primum instans in quo Socrates habebit gradum medium, quia quandocumque habebit gradum medium, habebit gradum intensiorem suo medio<sup>99</sup>. Aliter enim sequeretur quod agens illud aequaliter ageret in partem sibi propinquam et remotam, quod non est verum. Ideo in primo instanti in quo incipit habere gradum medium, etiam incipit habere gradum intensiorem et incipit esse albus; ergo aequae cito incipit esse albus sicut ipse incipit habere gradum medium, et si sic<sup>100</sup>; ergo non prius habebit gradum medium quam ipse erit albus, quod fuit probandum.

Ideo pro isto dicitur ut prius quod est dare maximum gradum qui non sufficit ad hoc quod aliquid sit album, et iste est gradus medius.

Et ad argumentum, quando arguitur <quod> tunc illud albefiendum prius habebit gradum medium quam ipsum erit album, dicitur quod non sequitur.

Et quando arguitur <94rb> ulterius quod prius habebit gradum medium quam aliquem gradum ultra medium, huic dicitur etiam quod non oportet, nec hoc est possibile nisi ipsum vel aliqua pars ipsius secundum se totam alteretur uniformiter ad albedinem, quod non est verum nec possibile in casu superius posito, quia agens extrinsecum numquam alterat uniformiter per totam aliquam partem, immo velocius semper partem sibi propinquam quam remotam.

---

<sup>97</sup> esse: summe albus vel add.P

<sup>98</sup> quod V: om.P

<sup>99</sup> suo medio V: om.P

<sup>100</sup> et si sic V: om.P

Ideo pro isto argumento dicitur negando antecedens, scilicet quod Socrates prius habebit gradum medium quam aliquem ultra medium.

Sed forte arguitur quod sic: quia nullum gradum ultra medium habebit ita cito sicut medium, et habebit aliquem gradum ultra medium et etiam medium; ergo citius habebit medium quam aliquem ultra medium. Huic dicitur quod non valet haec consequentia, quia immediate post tale instans habebit gradum medium et aliquem ultra medium. Et si adhuc arguitur sic: medius gradus erit primus quem Socrates habebit post tale instans, sed nullus ultra medium erit primus; ergo prius habebit medium quam aliquem ultra medium, huic dicitur negando antecedens, quia quocumque gradu medio dato, ille non erit primus quem Socrates habebit post A instans — sit A illud instans in quo incipit habere gradum medium —, quia quicumque gradus medius detur illius partis<sup>101</sup>, iste erit extensus per aliquam partem, et prius erit aliqua pars illius disposita per gradum medium quam illa tota pars; ideo et cetera. Verumtamen adhuc quamvis antecedens foret verum si posset ita esse, non valeret consequentia, sicut non sequitur ‘hoc instans erit primum instans praeteritum, demonstrato praesenti; ergo hoc instans erit prius praeteritum quam aliquod istorum, demonstratis omnibus futuris’, similiter non sequitur ‘hoc punctum erit primum punctum pertransitum; ergo hoc erit primum pertransitum quam aliquid aliud ab hoc’, quia immediate post hoc erit hoc punctum pertransitum, et etiam punctum aliud ab hoc. Arguendo tamen sic in terminis qui non habent nec incipiunt habere infinita supposita, bene valet hujusmodi argumentum simpliciter, non tamen gratia modi arguendi, sed potius gratia terminorum, unde bene sequitur ‘Socrates curret ad A, et nullus alius homo ita cito curret ad A sicut Socrates; igitur Socrates prius curret ad A et cetera’.

Sed adhuc forte arguitur probando istam propositionem negatam, scilicet ‘Socrates prius habebit gradum medium quam aliquem ultra medium’, quia si non, cum Socrates habebit gradum medium, et etiam ultra medium; igitur aequo cito Socrates habebit gradum ultra medium sicut medium, consequens est falsum, quia nullum ultra medium habebit ita cito sicut medium, ut prius argutum est.

Ideo pro isto dicitur negando istam consequentiam factam.

Et si arguitur tunc ex illo ista conclusio, scilicet quod Socrates non ita cito habebit gradum aliquem ultra medium sicut medium, nec citius, nec tardius, huic dicitur concedendo consequentiam, et conceditur quod nec ita cito habebit medium sicut ultra medium, nec tardius, nec citius, nec ita cito<sup>102</sup>, et hoc quia nullus erit primus gradus quem Socrates habebit post A, sicut prius dictum est. Ideo nullum novum gradum habebit ita cito sicut habebit aliquem gradum novum. Unde sicut non ita cito erit instans sicut erit instans, quia nullus erit primum instans, sic nec ita cito habebit gradum medium, sicut habebit gradum medium vel gradum ultra medium.

Et si arguitur ex hoc quod plures erunt gradus medii et non tantum unus, huic dicitur quod hoc est necessarium in omni tali casu: nam ubicumque est aliquis gradus medius, ibi sunt infiniti gradus medii.

Et si tunc quaeratur quare unius latitudinis dicitur esse tantum unus gradus medius, huic dicitur quod hoc est quia licet talis latitudinis sint plures gradus medii secundum <94va> numerum, tamen omnes illi sunt aequales intensive, et quilibet istorum est cuilibet istorum alteri a se aequalis intensive, licet non secundum extensionem in subjecto, sicut apparet si aliquid foret uniformiter coloratum vel calefactum gradu medio coloris vel albedinis.

Item arguitur ad sophisma sic: nullus homo potest currere; ergo non omnis homo qui est albus currit.

---

<sup>101</sup> illius partis V: om.P

<sup>102</sup> nec tardius nec citius nec ita cito V: om.P

Consequentia patet, et assumptum arguitur sic: non est possibile quod aliquis homo currat; ergo et cetera.

Antecedens arguitur: si aliquis homo curreret; ergo ipse pertransiret aliquod spacium, sed non est possibile quod aliquis pertranseat aliquod spacium; ergo non est possibile quod aliquis homo currat.

Pro isto forte dicitur, sicut communiter dicitur, quod satis possibile est quod aliquis homo pertranseat aliquod spacium, quia aliter sequitur quod homo pertransiret et <tamen> nihil pertransiret, loqueretur et tamen nihil loqueretur, et quod sapientissimus homo mundi nesciret quod diceret quantumcumque loqueretur ex magna deliberatione, et quod Socrates potest pertransire aliquod spacium et non est possibile ipsum pertransire idem spacium, et quod Socrates pertransibit aliquid, puta A, nec tamen erit umquam pertransiens illud nec est possibile quod pertranseat illud, et aliquod agens ageret et tamen nihil ageret, et quod non foret possibile duos disputare simul, vel quod aliqui disputant quorum neuter arguit nec respondet aliqua responsione.

Ideo pro istis forte conceditur quod aliquis pertransibit aliquod spacium, sicut prius dictum est.

Sed arguitur quod non: sit enim spacium A et Socrates qui pertransit. Quo posito<sup>103</sup>, arguitur sic: si Socrates in hoc instanti pertranseat A spacium, cum Socrates prius, puta immediate ante instans quod est praesens, consimiliter omnino movebatur super A, ut suppono, sicut ipse modo movetur, sequitur quod qua ratione in hoc instanti Socrates pertransit A spacium, in quolibet instanti praeterito in quo movebatur super A pertransivit Socrates A spacium, quod est falsum, quia A spacium non est adhuc pertransitum. Ponitur enim quod Socrates sit in medio.

Sed forte pro isto dicitur quod Socrates pertransit hoc spacium, sed non pertransit in hoc instanti, quia non potest aliquis pertransire aliquid in instanti, sed in tempore; et ideo assumptum est falsum.

<Et> quando arguitur quod Socrates pertransit hoc spacium in hoc instanti et cetera, <...> et ideo non procedit argumentum, ut dicitur communiter a magnis. Sed contra: ex ista responsione sequitur quod nihil movetur in aliquo instanti, et quod nullus motus est in instanti nec aliquod tempus est in instanti, et qua ratione nec motus, nec tempus est in instanti, sequitur quod nulla res permanens per tempus foret in instanti, quia tota ratio sic dicentium est quia instans non mensurat aliquem motum successivum, nec instans mensurat tempus nec est mensura aliqua per quam praecise aliquid movetur; et ideo dicunt quod talia non sunt in instanti. Sed consimiliter est de rebus aliis permanentibus, puta de homine, de asino et de caelo et hujusmodi. Nullum enim instans est praecisa seu adaequata mensura istorum: sicut enim motus Socratis non mensuratur per instans tantum, ita nec Socrates; ergo qua ratione non conceditur quod motus est in instanti, nec deberet concedi consequenter quod Socrates est in instanti.

Sed forte pro isto adhuc arguitur quod non: quia tempus et motus et hujusmodi res successivae non sunt in instanti, quia non simul sunt secundum omnes ejus partes, sed una illarum partium est praeterita et<sup>104</sup> alia futura, et nulla est una pars quae modo manet secundum quamlibet ejus partem, sed sic non est de homine, et sic de aliis permanentibus. Ipsa enim sunt simul secundum omnes suas partes; et ideo talia dicuntur permanentia, eo quod perfecte manent et sunt in instanti, sed aliqua<sup>105</sup> dicuntur successiva quia<sup>106</sup> non sunt in instanti.

---

<sup>103</sup> quo posito V: om.P

<sup>104</sup> et V: om.P

<sup>105</sup> aliqua V: alia P

<sup>106</sup> quia V: et P

Contra hanc responsionem arguitur sic: talia successiva vel sunt aliqua <94vb> existentia in rerum natura vel non sunt, sed tantum imaginabilia. Si sint aliqua existentia in rerum natura, vel sunt indivisibilia vel non. Si sunt indivisibilia; ergo ipsa ita vere sunt in instanti, sicut anima hominis est vel punctus aliquis. Si sint divisibilia; igitur ipsa sunt corpora secundum se existentia et divisibilia vel sunt accidentia extensa ad extensionem alicujus formae vel materiae divisibilis vel non. Et<sup>107</sup> quicquid dicatur de eis, si sint vere divisibilia in rerum natura [nam<sup>108</sup>], tunc ipsa erunt situata et divisibilia secundum divisionem hujus situs, et si sic; igitur ita vere sunt simul secundum omnes suas partes, sicut homo vel asinus. Quicquid enim aliter dicatur de eisdem non est intelligibile ponendo illa esse divisibilia. Si enim motus est res aliqua, vel erit mobile vel erit accidens extensum in mobili vel accidens indivisibile in eodem vel extra ipsum, et eodem modo erit de tempore, et si sic; ergo<sup>109</sup> ita vere erunt ipsa in instanti sicut homo vel asinus, et hoc est concedendum ponendo quod aliquid sit in instanti vel aliquid sit instans.

Praeterea ista cavillatio non evadit ad argumentum. Quamvis enim gratia disputationis concedatur quod nullus motus est in instanti nec quod aliquid pertranseat aliquid in instanti, adhuc stat argumentum, concedendo quod est possibile quod Socrates pertransit A, quia tunc ponitur illud. Et arguo tunc sic: nunc Socrates pertransit A, et prius<sup>110</sup> movebatur Socrates super A consimiliter<sup>111</sup> sicut nunc Socrates movetur super A; igitur cum Socrates nunc pertranseat A, prius Socrates pertransibat A.

Similiter: nunc est ita quod Socrates pertransit A; ergo eodem modo prius fuit ita quod Socrates pertransit A, et si sic; igitur Socrates prius pertransivit A.

Ideo pro isto dicitur forte quod Socrates prius<sup>112</sup> infinities pertransivit A, et tamen A numquam fuit pertransitum nec est pertransitum.

Et dicitur forte quod ista convertuntur 'Socrates prius infinities pertransivit A' et 'Socrates prius fuit infinities in pertranseundo<sup>113</sup> A'; et ideo sicut Socrates prius fuit infinities in pertranseundo<sup>114</sup> A, ita Socrates infinities pertransivit A, et tamen A numquam fuit pertransitum a Socrate<sup>115</sup>.

Sed contra: ex hoc sequitur quod Socrates infinities pertransivit A, et tamen modo potest esse quod numquam pertransivit A, quia cum Socrates sit supra medium punctum, si tunc quiesceret nec umquam moveretur ultra, tunc non pertransiret A nec ante pertransivisset A. Etiam si modo foret Socrates supra medium punctum et desineret A esse, sequitur quod Socrates numquam pertransivit A, sed nunc posset esse quod Socrates non moveretur ulterius vel quod A desineret esse; sequitur ergo conclusio proposita quasi(?) concedatur sicut est concedenda juxta responsionem.

Contra: ponatur ergo quod Socrates moveatur supra A et quod ipse aliquando pertransibit totum A, et Plato moveatur super B per unam horam cum similiter omnino sicut Socrates movetur super A et per eandem horam, ita tamen quod Plato non pertransibit B totum spacium. Quo posito, sequitur juxta istam responsionem quod immediate post instans quod est praesens Socrates pertransibit A et immediate post instans quod est praesens erit ita quod Socrates pertransit A et pertransivit A infinities, et tamen non immediate post instans quod est

---

<sup>107</sup> non et V: om.P

<sup>108</sup> nam V: om.P

<sup>109</sup> ergo V: om.P

<sup>110</sup> prius V: om.P

<sup>111</sup> consimiliter V: om.P

<sup>112</sup> prius V: om.P

<sup>113</sup> in pertranseundo V: impertranseundo P

<sup>114</sup> in pertranseundo V: impertranseundo P

<sup>115</sup> a Socrate V: om.P

praesens Plato pertransibit B et non immediate post hoc erit ita quod Plato pertransit B nec pertransivit B. Sed quae est ratio diversitatis, cum omnia sint paria praeter<sup>116</sup> hoc quod A erit pertransitum a Socrate et B non a Platone?

Et si dicitur quod hoc sufficit pro ista responsione, arguitur quod non, quia sit modo gratia argumenti aliquod instans intrinsecum istius horae et <95ra> arguitur sic: Plato omnino et consimiliter per omnia movetur super B sicut Socrates movetur super A, et continue ante hoc similiter movebatur super B sicut Socrates et cetera; igitur qua ratione Socrates modo pertransit vel prius pertransivit A, sequitur quod Plato nunc pertransit et prius pertransivit B, quia tantum praecise pertransitum est a Platone de B sicut pertransitum est a Socrate de A.

Similiter: ex responsione sequitur quod aliqua duo moventur aequae velociter praecise continue, puta Socrates et Plato, et continue a B instanti usque ad D erit ita quod maximum pertransitum a Socrate est aequale maximo pertransito a Platone, et e contra, et continue tamen per idem tempus erit ita quod Socrates pertransivit post B instans in centuplo majus spacium quam Plato pertransivit post illud B instans. Ponatur enim quod B sit unum instans in quo tam Socrates quam Plato incipiant aequae velociter moveri omnino, et sic moveatur usque ad D instans, in quo instanti desinat Plato moveri et moveatur Socrates ulterius quousque pertransiverit centuplum spacium ad maximum tunc pertransitum a Platone, et sequitur conclusio proposita.

Contra responsionem jam datam, sicut satis apparet intuiti<sup>117</sup>, sequitur etiam ista conclusio quasi in omni motu locali, scilicet quod aliqua est maxima quantitas pertransita ab isto mobili, et tamen illud mobile prius pertransivit in duplo majorem quantitatem ista data vel forte in ducentuplo majorem quantitatem, et sic in infinitum, quod non videtur verum.

Etiam sequitur quod mobile subito pertransiret totum spacium super quod movetur. Etiam sequitur quod unus punctus dum tangit alium punctum pertransit totam distantiam citra Romam, etiam sequitur quod duo sunt puncta quorum unum altero eorundem movetur in centuplo velocius, vel in quacumque volueris<sup>118</sup> proportionem imaginari, et tamen illud quod continue tardius movetur pertransit in centuplo vel in quacumque volueris proportionem longiorem lineam quiescentem in aequali parte temporis quam illud quod velocius movetur. Ponitur enim quod illud quod movetur velocius in eadem aut majori proportionem movebitur per minus tempus, etiam sequitur quod aliquod albefaciens immediate post hoc inducet in Socrate tantam albedinem sicut umquam habebit Socrates, et albedinem summam, et tamen nullus gradus albedinis immediate post hoc habebitur a Socrate. Et similiter per unum annum incipientem ab instanti praesenti non habebit Socrates aliquam albedinem.

Et quod illud sequatur consequenter respondendo et sustinendo illam responsionem arguitur sic: quia, sicut prius argutum est, ex illa responsione sequitur quod in motu locali mobile pertransibit tantum spacium immediate postquam ipsum inceperit moveri sicut pertransibit in toto tempore, posito quod continue movebitur super unum et idem spacium, quantumcumque magnum sit illud spacium, et hoc quia continue per totum illud tempus erit ita quod illud mobile pertransit totum spacium; ergo consimiliter erit in motu alterationis, scilicet<sup>119</sup> quod immediate post initium totius alterationis tantum inducet alterans quantum umquam postea inducet. Continue enim erit ita quod illud inducit totam istam albedinem sive caliditatem sive aliam qualitatem quam aliquando inducet sicut continue erit ita quod pertransit totum spacium.

Si enim dicatur quod non immediate post primum instans inducit totam illam albedinem sive caliditatem sive aliquam aliam quamcumque qualitatem, nec continue per totam istam horam

---

<sup>116</sup> praeter V: propter P

<sup>117</sup> sicut satis patet intuiti V: om.P

<sup>118</sup> volueris V: velocius P

<sup>119</sup> scilicet V: om.P

erit ita quod ipsum inducit totam albedinem vel qualitatem talem, contra: tunc sequitur quod non consequenter sustineretur prima responsio, quia tunc non potest negari quin agens agit et alterat, sequitur tunc quod agit nihil agendo, quod prius fuit negatum, vel quod<sup>120</sup> tunc ipsum agit albedinem aliquam, et qua ratione datur quod ipsum agit aliquam albedinem, sequitur quod ipsum agit totam albedinem quam aliquando aget; <95rb> igitur et cetera.

Sed forte dicitur quod agit tantum unum gradum albedinis qui prius non fuit, vel quod agit aliquam albedinem prius inductam, sed utrumque istorum est impossibile in alteratione difformi per totum.

Quod enim ageret prius actum est simpliciter impossibile, et quod ageret novum gradum qui non prius fuit, et hoc actione per totum difformi, est impossibile, quia in tali actione non est dare gradum intensissimum nec remississimum<sup>121</sup>, sicut est prius tactum; sequitur igitur quod si tale agens in tali casu aliquid ageret quod ipsum totam albedinem inducendam aget, eodem modo sicut mobile continue pertransibit totum spacium pertranseundum, et si sic, sequitur conclusio probanda ex ista responsione quae in rei veritate est impossibilis, sicut sunt multae aliae quae sequuntur ex illa.

Ideo forte dicitur, sicut est dicendum, ad primam propositionem istius argumenti principalis illam, scilicet ‘non est possibile quod aliquis pertranseat aliquod spacium’ concedendo.

Et quando ulterius arguitur ex illo quod nihil movetur, et quod nullus homo currit, negatur consequentia. Et si sic arguitur: aliquis homo movetur; ergo pertransit aliquod spacium, huic dicitur negando consequentiam et conceduntur omnes illae conclusiones seriatim<sup>122</sup> praepositae, scilicet quod agens agit et tamen nihil agit, loquitur et tamen nihil loquitur.

Et si arguitur ex isto quod aliquis homo loquitur qui non potest loqui sic arguendo: qui nihil potest loqui non potest loqui, sed quem non est possibile loqui aliquid ille nihil non potest loqui; ergo quem non est possibile aliquid loqui ille non potest loqui, sed non Socratem, immo nullum hominem possibile est aliquid loqui; ergo nullus homo potest loqui, huic dicitur concedendo consequentiam, sed nego antecedens. Haec enim est falsa ‘nullum hominem possibile est aliquid loqui’, quia ex ista sequitur quod nullus homo potest loqui, quod est falsum.

Et si arguitur probando istam sic: non est possibile aliquem hominem aliquid loqui; ergo nullum hominem possibile est aliquid loqui, negatur consequentia, sicut non sequitur ‘non est possibile quod album sit nigrum; ergo nullum album possibile est esse nigrum’. Album enim potest esse nigrum licet non sit possibile quod album sit nigrum; et ideo quia album potest esse nigrum, album possibile est esse nigrum. Unde ista convertuntur ‘album potest esse nigrum’ et ‘album possibile est esse nigrum’, et eodem modo probatur una sicut reliqua. Sequitur enim ‘hoc possibile est esse nigrum, et hoc est album; ergo et cetera.’ Et ideo [si<sup>123</sup>] dicitur quod sicut est concedendum quod homo potest loqui aliquid, ita etiam debet concedi quod hominem possibile est loqui aliquid.

Et consimiliter respondetur si arguitur quod homo facit aliquid quod ipse non potest facere, dicitur quod non.

Et si iterum arguitur contra: Socrates loquitur A propositionem et non est possibile Socratem loqui A propositionem; ergo ipse loquitur A propositionem quam non potest loqui, dicitur negando consequentiam.

Et si arguitur tunc quod sequitur saltem quod ipse faciet aliquid tale, et tamen non est possibile ipsum facere illud, huic dicitur concedendo conclusionem. Unde non est possibile

---

<sup>120</sup> quod V: om.P

<sup>121</sup> nec remississimum V: om.P

<sup>122</sup> seriatim V: om.P

<sup>123</sup> si V: om.P

quod aliquis faciat aliquid<sup>124</sup> nisi illud subito possit fieri et in instanti, sicut forte est actus animae et multiplicatio luminis, sicut ponunt aliqui, et sicut est forma ultima animalis. Talia enim quae non habent successivam generationem ita quod pars non praecedat partem fiunt in instanti tantum, et agens agit ipsa quando sunt facta, quia ipsa sunt simul in fieri secundum omnes suas partes<sup>125</sup>, et in facto esse.

Et si quaeritur ratio quare magis agens facit ea in instanti cum tunc sint facta complete quam in aliquo instanti posteriori, huic <95va> dicitur quod pro tanto tunc facit ea, quia tunc agens facit quod ipsa sunt postquam nec ista nec aliqua pars alicujus eorum prius fuit, sed sic non erit in aliquo instanti posteriori vel priori respectu eorum, nec etiam sic est in aliqua generatione successiva; ideo et cetera.

Sed forte arguitur adhuc in isto principali argumento quod Socrates immediate post initium sui motus pertransibit A vel numquam pertransibit A, quia si non immediate post initium sui motus<sup>126</sup> pertransibit A; ergo eadem ratione in nulla parte totius horae pertransibit A, quia in qualibet parte solummodo pertransibit partem illius; igitur in prima medietate hujus horae non pertransibit A; igitur in medio instanti erit adhuc A pertransendum, et sic cum Socrates non pertransibit A, tunc nec<sup>127</sup> in secunda medietate istius horae, nec instanti medio nec ante illud instans medium, sequitur quod numquam pertransibit A similiter continue ante finem illius horae A erit pertransendum a Socrate; igitur numquam ante finem erit A pertransitum; igitur ante finem illius horae Socrates non pertransibit A neque in fine nec post, quia tunc continue quiescet et cetera.

Similiter: sequitur quod Socrates aliquando transibit<sup>128</sup> A<sup>129</sup>, nunc non pertransibit<sup>130</sup> A, et tamen nec incipit nec incipiet pertransire A. Etiam sequitur quod Socrates aliquando pertransibit A et non in aeternum, et tamen numquam desinet nec desinit<sup>131</sup> pertransire A.

Pro istis duabus formis dicitur concedendo utramque.

Et ad argumentum quod Socrates numquam pertransibit A, quia in nulla parte totius horae pertransibit A, dicitur negando consequentiam. Socrates enim pertransibit in tota hora totum A et in parte horae partem A.

Et ad argumentum, quando arguitur quod in instanti medio etiam erit ita quod A est pertransendum; ergo tunc erit ita quod Socrates pertransibit A, huic dicitur negando antecedens.

Et si arguitur ad probationem<sup>132</sup> quod tunc non erit A pertransitum, et fuit aliquando pertransendum; ergo remanebit A pertransendum, negatur consequentia, sicut nec valet ista consequentia ‘Plato et Cicero fuerunt videndi a Socrate, et adhuc non sunt visi; ergo adhuc sunt videndi’. Ponatur enim quod unus videbatur heri et quod alius istorum videbitur a te cras. Isto posito, illa consequentia non valet, quia antecedens est verum et consequens falsum, et<sup>133</sup> sic etiam non valet haec consequentia ‘aliquando fuit ita quod Socrates pertransibit A, et adhuc non<sup>134</sup> pertransivit<sup>135</sup> A; igitur adhuc pertransibit A’, quia in quolibet instanti<sup>136</sup>

---

<sup>124</sup> aliquid corr. : aliquod PV

<sup>125</sup> secundum omnes suas partes V: om.P

<sup>126</sup> sui motus V: om.P

<sup>127</sup> tunc nec V: om.P

<sup>128</sup> transibit V: pertransibit P

<sup>129</sup> A: et add.P

<sup>130</sup> pertransibit V: pertransit P

<sup>131</sup> nec desinit V: om.P

<sup>132</sup> ad probationem V: om.P

<sup>133</sup> et quod alius istorum videbitur a te cras ... falsum et V: om.P

<sup>134</sup> adhuc non V: nondum P

<sup>135</sup> pertransivit V: pertransibit P

intrinsico istius horae erit antecedens verum et consequens falsum. Unde in nullo instanti intrinsico hujus horae erit A pertransitum, nec etiam pertranseundum.

Posset tamen dici aliter, scilicet quod A per totam horam erit pertranseundum et quod Socrates aliquando desinet pertransire A, scilicet in ultimo instanti istius horae, et tamen numquam incipit nec inceptit nec incipiet pertransire A.

Sed haec responsio fallax habet fundamentum. Non enim habet aliam rationem pro se nisi consequentiam prius negatam, scilicet ‘hoc spacium aliquando fuit pertranseundum, et adhuc non est nec fuit pertransitum; ergo adhuc est pertranseundum’.

Sed haec responsio, sicut prius declaratum est, non est necessaria sed tantum apparens probabilis.

Tunc etiam apud istam responsionem foret concedendum quod aliqua sunt duo mobilia seu duo puncta aequae velociter mota per horam ceteris paribus quoad praesentia vel futura, et tamen unum illorum pertransibit centuplam lineam ad maximam lineam pertransitam in eadem hora ab altero illorum. Posito enim quod A prius fuisset motum super eandem lineam per unum annum ante continuando motum usque in finem istius horae, ita quod in fine datae horae sit tota linea primo pertransita ab A puncto et quod B in hoc instanti incipiat moveri super eandem lineam pertranseundo in totam hanc horam centesimam partem <95vb> istius lineae datae, tunc sequitur quod A pertransibit totam illam lineam in hac hora et B solummodo centesimam partem ita quod non magis; ergo et cetera<sup>137</sup>. Iterum sequitur quod unus punctus subito pertransibit totam hanc lineam, quia immediate ante ultimum instans datae horae, ideo dicitur quod prior responsio est certior quam secunda, utraque tamen quodammodo probabilis; ideo elige<sup>138</sup>.

Sed forte arguitur adhuc in isto argumento principali dato quod Socrates pertransibit A<sup>139</sup> ante finem talis horae, sicut ponit data responsio quod Socrates pertransibit A antequam A erit pertransitum a Socrate.

Probo: quia B erit primum instans in quo A erit pertransitum, sit B ultimum istius horae mensurantis motum Socratis super A. Et tunc arguitur sic: B erit primum instans in quo A erit pertransitum, ergo A non<sup>140</sup> erit pertransitum ante B, sed Socrates pertransibit A ante B; ergo Socrates prius pertransibit A quam A erit pertransitum a Socrate<sup>141</sup>, quod fuit probandum.

Et quod hoc sit falsum arguitur: quia si Socrates prius pertransibit A quam A erit pertransitum; igitur vel per tempus vel per instans prius Socrates pertransibit A quam A erit pertransitum, consequens falsum, quia non per tempus, quia immediate<sup>142</sup> ante B A non erit pertransitum, nec per instans, per idem argumentum, tunc etiam<sup>143</sup> sequitur quod duo instantia sint immediata, quod est impossibile.

Similiter arguitur quod Socrates non pertransivit A ante B, vel quod A erit pertransitum ante B. Ponatur enim gratia exempli quod B nunc foret. Tunc arguitur sic: Socrates prius pertransivit A; igitur A prius fuit pertransitum a Socrate.

Consequentia arguitur sic: Socrates prius pertransivit A; igitur cum non citius pertransiverit A quam A fuit pertransitum a Socrate, A prius fuit pertransitum a Socrate.

Similiter: si modo non foret A nec aliqua ejus pars, adhuc Socrates prius pertransivisset A, posito quod Socrates fuisset et motus super A, sicut modo movebatur super A; ergo post hoc

---

<sup>136</sup> instanti V: om.P

<sup>137</sup> ergo et cetera V: om.P

<sup>138</sup> ideo elige V: om.P

<sup>139</sup> A V: om.P

<sup>140</sup> A non V: ante P

<sup>141</sup> a Socrate V: om.P

<sup>142</sup> immediate V: in mediate P

<sup>143</sup> etiam V: enim P



erit ita quod A fuit pertransitum a Socrate, et numquam nisi ante B; igitur tunc fuisset pertransitum ante B. Sed modo Socrates movebatur super A per omnia sicut tunc igitur jam A fuit pertransitum a Socrate ante B, quod erat probandum.

Similiter: posito quod in B instanti non erit Socrates, sed continue ante B movebatur Socrates, sicut prius positum est, tunc adhuc Socrates pertransisset A, et etiam A foret pertransitum a Socrate, et numquam nisi ante B; igitur et cetera.

Similiter: si in B instanti erit ita quod Socrates pertransivit A; igitur tunc erit ita quod ante B instans Socrates fuit pertransiens A; igitur prius fuit ita quod Socrates pertransit A; igitur A prius fuit pertransitum.

Ad haec respondetur primo ad primum concedendo quod Socrates prius pertransibit A quam A erit pertransitum.

Et quando arguitur ulterius quod non, quia nec per tempus prius nec per instans; igitur non prius, dicitur negando consequentiam, sicut non sequitur ‘nec per tempus nec per instans erunt omnia instantia ante B prius quam erit B; igitur illa non erunt prius quam erit B’, negatur consequentia.

Et si arguitur ex illo quod aliquid erit altero prius, et tamen nec per tempus nec per instans, huic dicitur quod hoc est impossibile, nec sequitur ex aliquo jam posito, quia non valet haec consequentia ‘Socrates prius pertransibit A quam A erit pertransitum, et tamen nec per tempus nec per instans; igitur aliquid erit altero prius quod non erit eodem prius per tempus nec per instans’.

Ad aliud, quando arguitur ad idem sic “Socrates prius pertransivit A; ergo prius fuit pertransitum a Socrate”, negatur consequentia. Et dicitur ulterius quod Socrates pertransivit A quando A non fuit pertransitum et antequam A fuit pertransitum.

Et tunc ad argumentum, quando arguitur “ponendo quod B foret et A non foret sed tamen quod continue Socrates fuisset motus super A sicut et modo, sequitur quod A tunc fuit pertransitum a Socrate<sup>144</sup> ante B, quia aliquando post B fuisset verum dicere quod Socrates prius pertransivit A et quod fuit pertransitum a Socrate”, huic dicitur quod non, immo tunc non foret verum in B quod Socrates pertransivit A nec tunc foret dare maximum quod Socrates pertransivit. Socrates enim <96ra> tunc pertransivisset<sup>145</sup> quamlibet partem A lineae non terminatam ad illud extremum versus quod Socrates movebatur et nullam partem A terminatam ad illud extremum; ideo Socrates tunc non pertransivisset A, sed solummodo partem istius lineae. Et ita numquam post B fuisset verum dicere quod Socrates pertransit A<et > quod<sup>146</sup> A fuit pertransitum a Socrate.

Sed forte contra hanc responsionem arguitur sic in casu isto: Socrates pertransivisset quemlibet punctum A quem pertransivit modo ante B; ergo qua ratione Socrates nunc pertransivit A ante B, et tunc pertransivisset A ante B, quia ad hoc quod Socrates pertransivisset A non requiritur quod pertransivisset ultimum punctum A, sed sufficit quod pertransivisset quemlibet punctum citra ultimum. Aliter enim sequeretur quod modo Socrates non pertransivit A ante B in casu prius posito<sup>147</sup>. Notum est enim quod Socrates non pertransivit ultimum punctum A ante B; igitur et cetera.

Similiter: [et] Socrates nunc non pertransivit ante B plusquam tunc fecisset, et nunc Socrates pertransivit ipsum A ante B; igitur tunc etiam pertransivisset<sup>148</sup> ante B.

---

<sup>144</sup> a Socrate V: om.P

<sup>145</sup> pertransivisset V: pertransisset P

<sup>146</sup> quod] Socrates pertransit A quod] LAC P

<sup>147</sup> in casu prius posito V: om.P

<sup>148</sup> pertransivisset V: pertransisset P

Ad haec dicitur, quando arguitur primo quod ad hoc quod Socrates pertransivisset totum<sup>149</sup> A ante B non requiritur quod pertransivisset ultimum punctum A ante B, dicitur concedendo hoc esse verum, sicut probat argumentum.

Et tunc quando arguitur ulterius quod Socrates pertransivit quemlibet punctum A eodem modo ac si A mansisset in fine; igitur etiam tunc Socrates pertransisset totum A, dicitur negando consequentiam. Ad hoc enim quod Socrates pertransisset totum<sup>150</sup> A, requiritur quod A mansisset in fine pertransitionis suae<sup>151</sup>. Unde juxta hoc conceditur quod aliqua duo mobilia, scilicet duo puncta aequae velociter mota super duas lineas aequales ceteris paribus praeter hoc quod una istarum in fine manebit, alia non, et unum istorum mobilium pertransibit totam lineam suam<sup>152</sup> ante finem istius horae et alius non pertransibit suam.

Et si arguitur sicut prius quod neuter istorum altero eorum punctorum plus pertransibit, cum ista duo continue per istam horam aequae velociter movebuntur ceteris paribus. huic dicitur quod sic, quia unus istorum punctorum pertransibit totam lineam suam, et erit dare maximam lineam quam ipse pertransibit ante finem istius horae, sed de altero non erit ita, quia non est dare maximam lineam quam ipse pertransibit, sed minimam quam non pertransibit sic quod talem non pertransibit, sed quamcumque minorem illa vel sibi aequalem pertransibit, et ista erit tota linea super quam movetur. Et ideo unum istorum altero eorundem<sup>153</sup> plus pertransibit, sed in nulla proportione, et hoc est quia est dare unius maximam lineam pertranseundam<sup>154</sup>, et<sup>155</sup> non utriusque. Et ex hoc patet responsio hujus ultimae ad aliam formam reductionis<sup>156</sup> superius factam.

Et ad aliam formam, quando arguitur “si in B instanti erit ita quod Socrates prius pertransivit A; igitur in B instanti erit ita quod Socrates fuit prius pertransiens A, et si sic; igitur A prius fuit pertransitum”, huic dicitur quod non valet ista consequentia ‘Socrates prius pertransivit A; ergo Socrates prius fuit pertransiens A’, immo conceditur quod Socrates prius pertransivit A quando non fuit pertransiens A et quando A non fuit pertransitum, et quod Socrates fecit hoc vel illud quando ipsum non fuit factum, sicut carpentarius prius faciet A domum quam A domus erit facta, et sic erit de omni re quae fiet quae non potest subito fieri. Unde si Socrates proferet aliquam propositionem, prius proferet eam quam ipsa erit prolata, et si Socrates dealbabit Platonem successive, prius dealbabit ipsum quam ipse erit dealbatus<sup>157</sup>, et sic de aliis talibus successivis actionibus quarum effectus in aliquo instanti primo erunt. De aliis tamen actionibus quarum effectus numquam primo erunt, non est necessarium quod agentia prius faciant eas quam sui effectus erunt. Unde si Socrates <96rb> debeat corrumpere aliquam rem animatam, non requiritur quod ipse prius corrumpat eam quam ipsa erit corrupta, quia forte post instans praesens immediate corrumpet eam et immediate post instans praesens erit corrupta; ideo non citius corrumpet eam quam ipsa erit corrupta, sicut Socrates non citius dividet talem vel talem lineam quam ipsa erit divisa.

Et si arguitur quod Socrates dividet aliquid<sup>158</sup> quod ipse numquam tanget, nec aliquid aliud, et etiam quod dividet aliquid postquam illud erit divisum, et quando ipsum erit divisum, et corrumpet aliquid postquam ipsum erit corruptum, quia ponatur quod Socrates incipiat

---

<sup>149</sup> totum V: om.P

<sup>150</sup> totum V: om.P

<sup>151</sup> pertransitionis suae V: om.P

<sup>152</sup> suam V: om.P

<sup>153</sup> eorundem V: om.P

<sup>154</sup> pertranseundam V: pertransitam P

<sup>155</sup> et V: quia P

<sup>156</sup> reductionis V: inductionis P

<sup>157</sup> dealbatus V: albus P

<sup>158</sup> aliquid corr.: aliquod PV

dividere A superficiem vel corrumpere B corpus, tunc, sicut patet per datam responsionem<sup>159</sup>, superficies immediate post hoc erit divisa, sed post hoc instans Socrates dividet eam; igitur dividet istam postquam ista erit divisa, et tamen nec Socrates nec aliquid aliud umquam tanget istam superficiem, quia numquam post hoc erit, et per idem sequitur quod Socrates numquam aget in illam superficiem<sup>160</sup> nec aget in rem istam corrumpendam.

Ad haec omnia respondetur concedendo ea praeter hoc quod Socrates dividet istam lineam vel superficiem postquam ipsa erit divisa.

Et ad argumentum pro isto probando, respondetur negando consequentiam. Ad hoc enim quod Socrates dividat aliquid postquam ipsum fuit divisum, requiritur quod ipsum fuerit divisum in aliquo instanti, et Socrates postea dividat illud post illud instans, quod est falsum et impossibile.

Et si arguitur ex isto quod aliquid erit quod in nullo instanti erit, et numquam erit ita quod ipsum est, et quod aliquid erit, quod impossibile est esse, quia divisio hujus superficiei erit hujusmodi. Ipsa enim non erit in aliquo instanti, ut apparet, quia in nullo instanti erit ista in quo haec superficies erit divisa, sed immediate post hoc erit divisa; igitur et cetera. Et consimiliter arguitur quod impossibile est hanc divisionem esse vel aliquam aliam, quia non est possibile quod ipsa sit quando ipsa superficies est integra, nec quando est divisa; igitur numquam est possibile ipsam esse. Et consimiliter arguitur de quacumque alia divisione.

Ad haec omnia dicitur quod quilibet eorum est impossibile.

Et ad argumentum, quando arguitur primo quod divisio A superficiei erit, et in nullo instanti, dicitur quod hoc est impossibile.

Et ad argumentum ulterius, quando arguitur quod ista superficies immediate post hoc erit divisa, et in nullo instanti erit divisio illius superficiei in quo instanti haec superficies erit divisa; ergo in nullo instanti erit divisio istius superficiei, huic dicitur concedendo conclusionem.

Sed ulterius si arguitur ex illo consequente quod divisio illius superficiei non erit in aliquo instanti, dicitur quod non valet consequentia, et causa est haec, quia illa divisio erit quando non erit divisio illius superficiei. Unde totus ille motus erit divisio illius superficiei, et ideo illa divisio erit quocumque ille motus erit, et in<sup>161</sup> quocumque instanti in quo ille motus erit illa divisio erit<sup>162</sup>, sed in nullo instanti erit<sup>163</sup> ille motus divisio illius superficiei, quia illud agens in nullo instanti dividet illam superficiem, et numquam erit ille motus divisio illius superficiei nisi quando agens dividet illam superficiem, et hoc erit in quolibet tempore incipiente ab isto instanti in quo agens incipit vel incipiet dividere illam superficiem, sed in nullo instanti talis temporis.

Et consimiliter dicitur ad aliam formam, qua arguitur quod aliquid erit quod impossibile est esse, quia haec divisio erit, et impossibile est hanc divisionem esse; ergo aliquid erit quod impossibile est esse, dicitur negando consequentiam, sicut non sequitur 'album erit nigrum, et impossibile est album esse nigrum; igitur aliquid erit nigrum quod impossibile est esse nigrum'.

Et si arguitur ex isto quod aliqua divisio erit per unam<sup>164</sup> diem vel per mille annos, et tamen in nullo instanti erit illa divisio, huic potest dici satis probabiliter concedendo conclusionem, sicut per totam <96va> hanc horam et quamlibet ejus partem Socrates pertransibit aliquod

---

<sup>159</sup> responsionem: A add.P

<sup>160</sup> superficiem] quia numquam post hoc ... superficiem] LAC P

<sup>161</sup> in V: om.P

<sup>162</sup> erit] et illa divisio erit} LAC P

<sup>163</sup> erit: et add.P

<sup>164</sup> unam corr.: unum PV

spacium, et tamen in nullo instanti pertransivit aliquid nec in aliquo instanti erit pertransitio alicujus spacii, et tamen per horam totam erit pertransitio alicujus spacii, et similiter dicitur in proposito.

Sed forte ad evitandam istam conclusionem dicitur aliter, scilicet quod haec divisio erit in aliquo instanti divisio, et conceditur quod haec divisio est.

Et si tunc arguitur quod haec divisio, quaecumque detur, nullius est divisio, quia nec divisi nec integri vel continui, huic dicitur forte concedendo conclusionem, scilicet quod haec divisio est, et tamen haec divisio nullius est divisio, sed est alicujus, quia est motus alicujus, non tamen est divisio alicujus. Et dicitur quod non sequitur ‘iste motus alicujus est motus, et iste motus est haec divisio; ergo haec divisio est alicujus divisio’, sed solum sequitur quod haec divisio est alicujus. Vel forte dicitur aliter et apparenter quod haec divisio est alicujus divisio, quia est dividendi divisio, sicut motus est moventis motus, et pertransitio est pertranseutis pertransitio.

Sed contra haec arguitur primo contra primam responsionem: quia si aliquando erit ita quod haec divisio est, quia aliquando erit haec divisio; igitur eadem ratione si aliquando erit divisio alicujus, aliquando erit ita quod divisio alicujus est, quod est negatum. Et consequentia patet per istam responsionem prius positam.

Similiter: sicut ponit ista responsio quod divisio est alicujus et non est alicujus divisio, conformiter etiam habet ponere quod divisio est, et tamen in nullo instanti est divisio, quod est impossibile.

Contra secundam responsionem etiam arguitur sic: si haec divisio est alicujus divisio, scilicet ipsius dividendi divisio; ergo eadem ratione corruptio est corruptentis corruptio, et generatio generantis generatio. Et tunc sequitur quod alicujus incorruptibilis est corruptio, et alicujus rei ingenerabilis est generatio, posito casu quod aliquod incorruptibile et ingenerabile incipiat corrumpere unum et generare aliud, sicut posito quod sol incipiat corrumpere frigiditatem generando caliditatem<sup>165</sup>, et sequitur tunc quod per totam istam horam simul erit generatio solis <et> corruptio eujdem, et tamen nullius est vel erit generatio nisi rei quae est vel erit in generato esse vel in generari, nec alicujus est vel erit corruptio nisi rei quae corrumpetur; ergo sol generabitur et corrumpetur, quod est impossibile, cum sit corpus ingenerabile et incorruptibile<sup>166</sup>.

Ideo forte ad hoc datur alia responsio concedendo, scilicet quod aliquando erit ita quod haec divisio est alicujus divisio.

Et ulterius, quando arguitur quod non, quia nec est continui divisio nec est divisi divisio, huic dicitur tunc quod est continui dividendi divisio.

Et quando arguitur quod non, quia si talis divisio foret dividendi divisio sequitur quod aliquid divideret illud dividendum, consequens impossibile, quia sicut prius probatum est de pertransitione, scilicet quod non est possibile quod aliquid pertranseat aliquid aliud, ita non est possibile quod aliquid dividat aliquid aliud, et si sic, igitur ista divisio non est alicujus dividendi divisio, huic dicitur tunc quod non valet haec consequentia ‘haec divisio est alicujus dividendi divisio; igitur aliquid dividit illud dividendum’, sed solum sequitur quod aliquod dividendum sit in dividi ab aliquo dividente et quod aliquod dividens sit in dividendo aliquod dividendum, et haec responsio inter ceteras a prima est maxime probabilis.

Arguitur tamen contra hanc sic: si aliquando erit ita quod aliqua divisio est alicujus <96vb> divisio, quia per totam talem horam erit alicujus divisio, tunc sequitur eadem ratione quod aliquando erit ita quod aliqua divisio alicujus superficiei est sive divisio alicujus lineae.

Et arguitur quod non: quia tunc non erit ita quod aliqua linea est in dividi, quia non illa quam modo incipit agens dividere, quia agens adhuc numquam dividebat partem istius lineae nec

---

<sup>165</sup> generando caliditatem V: generatione caliditatis P

<sup>166</sup> quod est impossibile cum ... incorruptibile V: om.P

istius superficiei, et sequitur quod in aliquo instanti est divisio alicujus lineae vel superficiei, et tamen post illud instans poterit esse quod numquam fuit divisio istius, etiam sequitur quod in aliquo instanti est alicujus divisio, et tamen agens quod facit istam divisionem omnino quiescit in isto instanti. Haec<sup>167</sup> forma est quae maxime movet contra istam responsionem.

Et quod illud sequitur consequenter respondendo arguitur sic: quia ista responsio ponit quod divisio talis lineae vel superficiei est, quia illa linea vel superficies jam incipit dividi vel est in dividi, sed in primo instanti in quo agens incipit dividere, tunc est aliqua superficies quae dividi incipit, et quae tunc est in dividi; ergo tunc est divisio istius lineae vel superficiei, et tunc agens quiescit omnino a tali actione, ut suppono. Ponitur enim quod tunc incipiat dividere, et tunc sequitur conclusio proposita.

Sed pro isto adhuc posset dici quod plus requiritur ad hoc quod divisio alicujus sit quam quod illud incipiat dividi, immo hoc non requiritur nec sufficit<sup>168</sup>, sed requiritur quod agens continuat actionem suam per quam dividatur ipsum dividendum, sed hoc est falsum in primo instanti in quo agens incipit dividere seu agere; ideo forte dicitur quod non sequitur conclusio proposita.

Sed adhuc arguitur quod sic: quia ponatur quod dividens aliquod prius divisisset motu continuo A medium et continuando eum incipiat dividere partem B medii. Sit tamen B medium non continuum cum A sed solummodo contiguum, et tunc sequitur quod divisio B vel alicujus superficiei B est tamen agens, tunc primo incipit agere in B. Ponatur enim gratia exempli quod foret unum aliud agens voluntarium approximatum ad aliud extremum istius omnino sicut jam approximatur hoc agens ad hoc extremum<sup>169</sup>, quod etiam incipiat dividere partes B, sed quod illud quiescet<sup>170</sup> ibidem per magnum tempus terminatum ad hoc instans, et tunc sequitur, ut apparet, quod qua ratione est ponendum quod tunc erit divisio superficiei approximatae primo agenti, etiam tunc est divisio superficiei immediatae agenti secundo quiescenti, et si sic, sequitur conclusio proposita.

Similiter: juxta istam responsionem sequitur quod ita cito erit divisio mediae superficiei sicut primae, immo ultimae sicut primae.

Quod arguitur sic: quia in nullo instanti erit divisio alicujus lineae vel superficiei nisi quia in isto instanti erit aliquis motus vel actio per quam dividetur talis linea vel superficies, et adhuc non in isto instanti, sed post illud instans; ponitur ergo quod continuetur idem motus vel eadem actio ita quod eodem motu in numero dividantur omnes superficies vel lineae dividendae illius corporis, et tunc sequitur quod ita cito erit divisio ultimae superficiei sicut primae.

Sed forte dicitur quod illud non sequitur, quia iste motus non erit divisio talis lineae vel talis superficiei antequam ista linea vel superficies incipiat dividi per istum motum, et non aequae cito incipient omnes lineae dividi per istum motum; ergo et cetera.

Sed contra: iste motus erit divisio totius corporis dividendi antequam illud corpus incipiat dividi; ergo eadem ratione erit divisio alicujus superficiei antequam ipsa <97ra> incipiat dividi per istum motum. Ideo tunc forte dicitur quod non erit divisio alicujus superficiei antequam ipsa erit in dividi per istum motum, sicut nec est aliquis motus divisio alicujus corporis antequam illud corpus sit in dividi per istum motum.

Sed contra hoc arguitur sic: totum corpus erit in dividi antequam ipsum incipiat dividi; ergo eadem ratione superficies media erit in dividi antequam ipsa incipiat dividi, et si sic, etiam sequitur conclusio proposita.

---

<sup>167</sup> haec V: et haec P

<sup>168</sup> immo hoc non requiritur nec sufficit V: om.P

<sup>169</sup> ad hoc extremum V: om.P

<sup>170</sup> quiescet V: quieverit P

Sed forte pro isto dicitur, et bene, quod superficies non est in dividi antequam ipsa incipiat dividi. Et causa est quia ipsa non habet praecisam mensuram et adaequatam sicut requireret totum corpus dividendum; et ideo non sequitur licet totum corpus sit in dividi antequam ipsum incipiat dividi quod propter hoc superficies etiam erit in dividi antequam ipsa incipiat dividi.

Sed contra: ex hac responsione sequitur quod aliqua superficies quae de praesenti est continua et per tempus terminatum ad illud instans erit continua, et tamen aliquando erit divisa et tamen numquam erit in dividi.

Quod arguitur sic: quia ponatur quod A corpus sic dividetur quod sit dare primum instans in quo A erit complete divisum, et signetur superficies ipsius quae ultimo dividetur quae sit B. Et arguitur tunc sic quod B numquam erit in dividi: quia per dictam responsionem B non erit in dividi antequam incipiat dividi sed cum B incipiet dividi, tunc B non erit in<sup>171</sup> dividi sed in diviso esse, quia B non incipiet dividi ante ultimum instans, sicut apparet intuiti, et tunc B erit in diviso esse, per casum; igitur et cetera.

Similiter: retento eodem casu sequitur quod aliqua superficies dividetur quae jam est continua, et tamen nec jam est divisio illius nec umquam erit divisio illius, quia per istam responsionem non erit divisio alicujus superficiei antequam incipiat dividi, sed quando ipsa superficies incipiet dividi tunc non erit divisio istius, quia non erit motus nec actio qua dividetur ista superficies, quia tunc ista superficies erit in diviso esse et agens omnino quiescet, ut supponitur.

Et consimiliter arguitur de prima superficie dividenda, posito quod agens jam quiesceret et modo primo inciperet dividere partes istius corporis. Tunc enim non est divisio istius corporis, quia tunc quiescet<sup>172</sup> agens, nec adhuc dividit nec umquam erit divisio istius superficiei, quia in nullo instanti erit ista superficies dividenda, nec in aliquo instanti incipiet ista superficies dividi; ergo per istam responsionem numquam erit divisio istius superficiei, et hoc potest concedi.

Ex his omnibus elige probabile.

---

<sup>171</sup> in V: om.P

<sup>172</sup> quiescet V: quiescit P

**<Sextum sophisma>**  
**<Anima Antichristi necessario erit>**

<99rb> Anima Antichristi necessario erit.

Ponatur quod Antichristus non sit, sed quod ipse erit, contingenter tamen, ita quod non sit determinatum adhuc quando ipsa erit. Isto posito, sophisma non est verum sic significando.

Arguitur tamen quod sic: quia anima Antichristi aliquando necessario erit, quia ipsa necessario erit post A, ponitur quod A erit primum instans in quo Antichristus erit. Et arguitur tunc sic: anima Antichristi erit in A instanti; ergo post A instans ipsa necessario erit.

Probo consequentiam: quia si tunc post A instans ipsa erit perpetua et incorruptibilis; ergo post A instans ipsa non poterit non esse, et si sic; ergo tunc ipsa necessario erit.

Sed pro isto forte dicitur, sicut est dicendum, quod non valet haec consequentia ‘post A instans ipsa erit aeterna seu perpetua; igitur post A non poterit non esse’. Contra hoc arguitur sic: si ipsa erit aeterna post A, et ipsa poterit non esse post A, tunc sequitur quod aliquod aeternum poterit non esse.

Et arguitur quod non: quia si aliquod aeternum poterit non esse, ponatur igitur quod illud aeternum non erit, et habetur contradictoria, quia si illud erit aeternum, ipsum erit per tempus infinitum et per positum non erit; igitur et cetera.

Sed pro isto forte dicitur distinguendo hanc propositionem ‘aliquod aeternum potest non esse’ eo quod iste terminus ‘aeternum’ potest supponere pro eo quod est aeternum aut pro eo quod potest esse aeternum. Unde primo modo accipiendo hanc propositionem est iste sensus: aliquid quod est aeternum potest non esse, et adhuc iste sensus est verus secundum aliquos, quia aliqua est pars elementi simplicis sicut terrae vel ignis quae in aeternum erit, sicut potest poni satis probabiliter, et ista poterit non esse, quia ista est corruptibilis sicut pars simplex. Sed non oportet illud dici, quia satis potest poni quod quaelibet pars talis elementi aliquando corrumpetur, quia nulla est quin possit sibi approximari contrarium et sibi forte approximabitur. Ponitur enim, sicut est satis probabile, quod terra sit in continuo motu, vel quod frequenter moveatur ita quod illa terra quae nunc est prope centrum aliquando in tempore aeterno forte distabit per multa miliaria a centro, et tunc satis de facto potest sibi approximari contrarium quod potest ipsam corrumpere. Et consimiliter ponitur de igne quod per diversas exalationes potest quaecumque pars aliter disponi quam modo est <99va> disposita, et sic tandem potest sibi approximari contrarium, et sic potest satis bene rationabiliter poni quod continue est aliqua pars ignis simplex. Et etiam aliqua pars terrae et pars valde magna, et tamen aliquando corrumpetur quaelibet quae modo est simplex vel mixta et cetera. Alius est sensus, scilicet: aliquid quod potest esse aeternum potest non esse, et iste sensus etiam est verus et verificatur de anima humana tantum, et adhuc secundum opinionem Commentatoris tertio De anima illud non foret verum, quia ipse ponit eandem esse animam intellectivam numero in omnibus hominibus, et hoc creditur esse physicum. Difficile est enim assignare separationem animae intellectivae a corpore et ad quid ista deserviret post ejus separationem a corpore et ubi foret physice loquendo et quod ipsa non poterit corrumpi et difficilissimum est distinguere unam ab alia, cum sint ejusdem speciei specialissimae et aequalis perfectionis. Et nullam includunt conditionem materialem, cum neque sint in situ neque in corpore aliquo tamquam forma in subjecto. Ideo physice loquendo vel oportet ponere formam ultimam hominis esse corruptibilem sicut formam bruti, sicut posuit Alexander, vel eandem numero esse, sicut ponit Averrois Commentator, sed ista philosophia est contra fidem et veritatem.

Ideo redeat ad sophisma ista disputatio concedendo, scilicet ista conclusionem prius argutam quod aliquid quod potest esse aeternum potest non esse, sicut anima Antichristi.

Et ad argumentum ulterius, quando arguitur ponendo istam de inesse, hanc scilicet ‘aliquod aeternum non erit’, dicitur quod ista est impossibilis. Unde sicut non valet consequentia

‘album potest esse nigrum; ergo possibile est quod album sit nigrum’, sicut non sequitur ‘aliquod aeternum potest non esse; ergo possibile est quod aliquod aeternum non erit’, sed antecedens est verum et consequens impossibile.

Sed contra: si aliquod aeternum potest non esse, illud vel est aeternum vel non est aeternum, sed potest esse aeternum si non sit aeternum, sed solummodo potest esse aeternum, tunc ex isto non sequitur quod aliquod aeternum poterit non esse, quia illud non est aliquod aeternum.

Similiter: si aliquod aeternum potest non esse, aut illud aeternum est aut non est. Si illud aeternum non est; ergo aliquod aeternum non est, sed consequens est impossibile.

Et consequentia arguitur: quia arguitur ab inferiori ad suum superius postposita negatione.

Ad hoc dicitur sicut prius quod nullum est aeternum quod potest non esse.

Et quando ulterius arguitur quod tunc non sequitur quod aliquod aeternum potest non esse, quia illud non est aeternum, dicitur negando consequentiam. Unde sicut prius dicebatur ista stant simul ‘aliquod aeternum potest non esse’ et tamen ‘omne aeternum est tale quod ipsum non potest non esse’, sicut omnis homo est homo qui non potest esse Antichristus et tamen aliquis homo potest esse Antichristus, et omnis homo est talis quod non potest de novo generari et tamen aliquis homo, ut puta filius tuus, potest de novo generari.

Et si arguitur ex istis quod omnis homo non potest de novo generari et quod omne aeternum non potest non esse, dicitur quod non valet consequentia. Et causa est quia apud communem modum loquendi antecedens solum significat quod omnis homo qui est non potest de novo generari et quod omne aeternum quod est non potest non esse, sed consequens plus significat, quia haec propositio ‘omnis homo non potest generari’ significat quod nullus homo potest generari, et ista significat quod nullus homo qui est nec aliquis homo qui potest esse potest generari, et hoc est falsum, et consimiliter significat quaelibet talis; et ideo non procedit argumentum.

Ad secundam consequentiam prius factam probando quod aliquod aeternum non est, quia hoc aeternum non est, demonstrata anima Antichristi, dicitur quod consequentia non valet.

Et ad probationem, dicitur quod superius frequenter <99vb> in aliis sophismatibus ponitur responsio, scilicet quod requiritur quod arguatur a per se inferiori ad suum superius, et ibidem exponuntur illi termini; ideo et cetera.

Sed forte adhuc arguitur quod anima Antichristi non potest non esse post A, quia ipsa inevitabiliter erit post A.

Probatur: quia post A non poterit esse quin ipsa erit post A.

Similiter: ipsa aeternaliter erit post A.

Similiter: in A instanti ipsa incipiet esse necessario post A.

Probatur: quia in A erit ista copulativa vera sic significando ‘anima Antichristi nunc non est necessario post A et immediate post instans quod est praesens erit vera’, sed ex ista copulativa sequitur quod anima Antichristi incipit esse necessario post A; igitur et cetera.

Ad haec respondetur, et primo ad primum, quando arguitur quod haec anima erit inevitabiliter post A, dicitur quod non. Ista enim propositio significat quod non poterit evitari quin ipsa erit post A, et hoc est falsum.

Et ad argumentum, quando arguitur quod continue post A erit inevitabile ipsam fore; ergo post A ipsa inevitabiliter erit, negatur consequentia; sicut non sequitur ‘post A erit necessarium ipsam esse; ergo post A ipsa necessario erit’, quia licet in A erit ita quod ipsa necessario erit post A, tamen modo non est ita quod ipsa necessario erit post A, sicut licet cras erit ita quod tu es omnis homo qui cras curret in bello monte, tamen forte tu non eris omnis homo qui cras curret in bello monte, et consimiliter dicitur in proposito.

Et ad aliam formam, quando arguitur quod illa aeternaliter erit post A; igitur ipsa necessario erit post A, dicitur negando consequentiam.



Et si arguitur ut prius quod post A ipsa non poterit non esse post A, quia si post A poterit non esse, cum ipsa erit in A, sequitur quod ipsa<sup>173</sup> poterit incipere non esse post A vel desinere esse post A, quod est impossibile. Ideo pro isto dicitur negando consequentiam ultimo factam. Et ad aliud, quando assumitur quod post A ipsa non poterit non esse, quia tunc erit aeternaliter et aeterna, huic dicitur negando consequentiam. Et causa est quia licet ista tunc erit aeterna, tamen modo potest esse quod ipsa non erit tunc aeterna, quia nunc potest non esse futura post A; ideo et post A poterit non esse futura post A.

Ad aliud, quando arguitur quod ipsa in A instanti incipiet esse necessario post A, dicitur quod non.

Et ad argumentum, quando arguitur ulterius quod tunc erit ita quod incipit esse necessario post A, dicitur concedendo illud, sicut argumentum satis probat.

Et ulterius, si arguitur “erit ita quod ipsa incipit esse necessario post A; igitur ipsa incipiet esse necessario post A”, dicitur negando consequentiam, sicut prius frequenter negabatur consimilis in primo sophismate et in proximo praecedenti.

Sed forte aliter arguitur sic: si anima Antichristi erit et jam non est, ipsa est futura, sed omne futurum necessario erit; ergo et cetera.

Assumptum arguitur sic: quia si non, stet oppositum quod aliquod futurum non necessario erit. Et arguitur quod ista sit falsa: quia si aliquod futurum non necessario erit, possibile est quod aliquod futurum non erit. Ponatur igitur quod illud quod est futurum non erit, et arguitur quod illud claudit opposita: quia si illud sit aliquid quod est futurum, illud erit, et per positum non erit; ergo et cetera.

Sed pro isto forte dicitur, sicut est dicendum, quod non valet consequentia ‘aliquid quod est futurum potest non esse; igitur possibile est quod aliquid quod est futurum non erit’ sicut prius dicebatur in consimili, et ideo bene conceditur quod ista propositio claudit contradictionem, sed ipsa nullo modo sequitur; ideo et cetera.

Sed adhuc contra illam propositionem arguitur sic: necesse est quod omne futurum erit; igitur nihil quod est futurum poterit non esse.

Sed dicitur negando consequentiam: quia arguitur a sensu composito vero ad sensum divisum falsum. Unde necesse est quod omne futurum erit, sed non omne futurum necesse est fore vel esse futurum, sicut necesse est omnem hominem esse animal, et tamen nullum hominem necesse est esse animal.

Sed contra hoc arguitur sic: si anima <100ra> Antichristi sit futura, ipsa necessario erit.

Consequentia arguitur sic: quia si ipsa est futura, deus scit eam esse futuram et credit eam esse futuram, sed deus non potest decipi nec scientia dei potest esse incerta; ergo ipsa anima non potest non esse futura, quia si posset, tunc sequeretur quod quod deus nunc scit aliquam propositionem et scivit ante hoc per tempus aeternum, et tamen potest modo esse, immo tu potes modo facere quod deus numquam scivit istam nec credit.

Etiam arguitur sic: haec propositio est vera et prius fuit vera sic significando ‘anima Antichristi erit’; signetur ergo ista, et sit A, capiatur tunc haec propositio ‘A fuit verum’ et sit ista B. Et arguitur tunc sic: B est propositio necessaria, et ex B sic significando sequitur quod ipsa anima erit; ergo ipsa anima necessario erit.

Consequentia arguitur sic: quia in tali consequentia antecedens est necessarium; ergo et consequens. Arguitur enim sic: A fuit verum; igitur ista anima erit, demonstrata anima Antichristi, antecedens est necessarium; ergo et consequens. Quod illud antecedens sit necessarium arguitur sic: quia ipsum est una propositio vera et affirmativa de praeterito; ergo est necessarium.

---

<sup>173</sup> ipsa corr.: ipse V

Similiter ad idem arguitur sic: omne quod fuit necesse est fuisse, sed haec veritas fuit; ergo necesse est hanc veritatem fuisse, demonstrata A propositione vera. Et arguitur tunc sic: necesse est hanc veritatem fuisse; igitur est necesse hanc animam esse futuram.

Consequentia probatur ut prius: quia sequitur 'haec veritas fuit sic significando; igitur ipsa anima erit', antecedens est necessarium; ergo et consequens.

Quod antecedens sit necessarium arguitur: quia significat praecise sicut necessarium est esse, quia solum significat, ut supponitur, quod haec veritas fuit, sed, sicut jam probatum est, necesse est hanc veritatem fuisse; ergo illud antecedens significat sicut necesse est esse; igitur ipsum est necessarium. Et si sic, sequitur quod etiam consequens sit necessarium, scilicet 'ista anima erit; ergo ipsa necessario erit'.

Ad haec argumenta respondetur, et primo ad primum concedendo istas conclusiones ibidem argutas, scilicet quod deus aliquam propositionem nunc scit esse veram et per tempus scivit sic esse sicut illa significat, et tamen modo potest esse quod ipse numquam scivit nec credidit istam, scilicet quod nunc scit ipsam esse falsam. Et juxta hoc conceditur esse possibile quod Socrates mille annis elapsis scripsit unam propositionem, et tamen cras vel hodie, immo quandocumque tibi placuerit, tu potes facere quod Socrates numquam scripsit illam propositionem veram, sicut posito quod Socrates scripsisset quod aliquando in tali hora cures in bello monte vel facias aliquod tale futurum quod mere dependet a tua voluntate. Notum est tunc quod non necessario facies illud; ideo tu poteris non facere illud, et si tu non facies illud, tunc Socrates non prius scripsisset talem propositionem veram, cum tu possis facere quod tu non facies illud, patet quod tu potes facere quod non scripsit illud verum. Et juxta hoc conceditur etiam quod aliqua est propositio vera in hoc instanti, et tamen illa eadem in hoc instanti potest esse falsa et sua contradictoria vera.

Et per hoc dicitur ad secundam formam, quando scilicet arguitur "si haec veritas fuit, necesse est hanc veritatem fuisse, quia omne quod fuit necesse est fuisse", dicitur negando consequentiam. Unde non sequitur 'omne quod fuit necesse est fuisse, haec veritas fuit; ergo necesse est hanc veritatem fuisse', sed sequitur 'ergo hanc veritatem necesse fuisse'. Sicut etiam in istis terminis non valet hujusmodi consequentia 'omnem planetam necesse est esse, aliquis planeta lucet in istis scholis; ergo necesse est aliquem planetam lucentem in istis scholis esse', sed sequitur quod aliquem planetam lucentem in istis scholis necesse est esse. Arguebatur enim prius a sensu diviso ad sensum compositum.

Sed forte arguitur adhuc quod si haec propositio sit vera, ipsa non potest esse falsa, quia si ipsa non sit falsa et poterit esse falsa; ergo poterit incipere esse falsa.

Sed arguitur quod non: quia si poterit <100rb> incipere esse falsa, et ipsa prius fuit vera; ponitur igitur quod ipsa incipiat esse falsa postquam ipsa fuit vera. Et notum est quod in casu ista claudunt opposita: quia si ista incipiat esse falsa sic significando, et fuit vera sic significando; ergo ipsa erit falsa sic significando et fuit vera sic significando. Arguitur tunc sic: ipsa fuit vera sic significando; ergo ista anima erit, et ipsa erit falsa sic significando; ergo ista anima non erit. Patet igitur quod si ista propositio incipiat esse falsa postquam fuit vera et cetera, illud claudit opposita. Et si sic; ergo ipsa non potest esse falsa, quia ad hoc quod esset falsa postquam fuit vera, requiritur quod ipsa inciperet vel incepisset esse falsa, sed hoc non est possibile; ergo et cetera.

Similiter: si aliqua propositio sit vera in hoc instanti quod est praesens, ista in hoc eodem instanti non potest esse falsa, quia si in hoc instanti potest esse falsa, cum tamen nunc sit ipsa vera, sequitur quod ipsa possit mutari in hoc instanti a veritate in falsitate; ergo aliqua posset esse mutatio facta in hoc instanti quae adhuc non est facta, quod est impossibile, quia nihil potest esse in hoc instanti nisi quod est in hoc instanti.

Ad haec respondetur, primo ad primum, quando arguitur quod haec propositio non potest esse falsa postquam fuit vera, quia non potest incipere esse falsa postquam fuit vera, dicitur negando consequentiam.

Et quando arguitur ulterius “si ipsa erit falsa postquam fuit vera; ergo ipsa incipit vel incipiet esse falsa postquam fuit vera”, dicitur quod ista consequentia est bona, sed ulterius tunc non valet consequentia sic arguendo ex ista “igitur si potest esse falsa postquam fuit vera, ipsa potest incipere esse falsa postquam fuit vera”.

Sed forte arguitur contra istam propositionem jam concessam, hanc scilicet ‘ipsa potest esse falsa postquam fuit vera’, arguitur sic: non potest esse quod ipsa erit falsa postquam fuit vera; ergo ipsa non potest esse falsa postquam fuit vera. Sed huic dicitur quod non valet consequentia, sicut non sequitur ‘non est impossibile quod ego habeam solus eundem denarium quem tu habes; igitur non possum habere solus eundem denarium quem tu habes’.

Ad secundam formam, quando arguitur quod nulla propositio quae est vera in hoc instanti potest esse falsa in eodem instanti, quia ipsa non potest mutari a veritate in falsitatem in hoc instanti, dicitur negando consequentiam.

Et quando arguitur ut prius “si ipsa debeat esse falsa in hoc instanti cum ipsa sit vera, in eodem instanti requiritur quod ipsa mutetur a veritate in falsitatem; ergo cum ipsa non possit mutari a veritate in falsitatem, sequitur quod ipsa non potest esse falsa”, dicitur negando consequentiam ut in priori forma consimili. Unde non est ita de ista propositione vera de contingenti futuro sicut est de una alia propositione vera vel falsa de praesenti, quae est determinate vera vel determinate falsa. Unde de talibus bene valet huiusmodi argumentum, quia si aliqua talis potest esse falsa postquam fuit vera vel e contra, ista potest incipere esse falsa vel e contra. Et potest etiam mutari a veritate in falsitatem, idest fieri falsa postquam fuit vera et e contra. Sed sic non est de propositionibus de futuro, et maxime de negativa quae non potest mutari a veritate in falsitatem, sicut nec affirmativae possunt mutari a falsitate in veritatem. Unde notandum est quod propositio affirmativa de futuro in materia contingenti potest incipere esse falsa postquam ipsa fuit vera, sicut ista ‘tu eris’ aliquando erit falsa postquam fuit vera. Sed numquam potest aliqua affirmativa de futuro falsa incipere esse vera, nec est possibile quod ipsa erit vera postquam fuit falsa. Et e contra est de propositione negativa de futuro de materia contingenti. Ipsa <100va> enim potest mutari a falsitate in veritatem, et potest incipere esse vera postquam fuit falsa, sed non potest incipere esse falsa postquam ipsa fuit vera. Unde illud quod prius dictum est de hac propositione ‘ista anima erit’, demonstrata anima Antichristi, scilicet quod ista potest esse falsa et non potest incipere esse falsa, solum tenet gratia materiae, quia per subjectum istius significatur res quae non potest corrumpi licet ipsa possit non esse, scilicet anima intellectiva. Unde conceditur quod ista propositio, scilicet ‘anima Antichristi erit’, potest incipere esse falsa postquam ipsa fuit vera. Ista tamen propositio ‘illa anima erit’, demonstrata illa eadem anima, non potest incipere esse falsa postquam ipsa fuit vera. Et causa est quia aliquando erit ipsa anima quando non erit anima Antichristi, quia aliquando erit ista anima quando Antichristus non erit; ideo et cetera. Et non possunt istae propositiones de futuro sic mutari a falsitate in veritatem sicut aliae contingentes de praesenti, quemadmodum dictum est, quia eo ipso quod aliqua talis affirmativa de futuro modo est vera sic significando, sequitur quod ipsa numquam fuit falsa sic significando, et hoc ubi ista propositio est de terminis simplicibus et mere simplex sicut est ista ‘homo erit’, ‘Socrates curret’, ‘Plato disputabit’, et huiusmodi. In aliis tamen propositionibus de futuro quae sunt de terminis compositis vel includentibus compositionem, non est impossibile ipsas incipere esse veras postquam fuerunt falsae, sicut prius dictum est in primo sophismate et in tertio de istis propositionibus ‘Socrates erit omnis homo qui erit in hoc loco vel in ista civitate’, ‘Socrates erit tantus sicut erit Plato’ et sic de aliis huiusmodi.

Item arguitur ad principale sic: A necessario erit, et nullum A erit nisi anima Antichristi erit; ergo anima Antichristi necessario erit. Ponatur quod A erit totum tempus in quo Antichristus erit vel in quo ejus anima erit, et arguitur ut prius.

Sed tunc forte conceditur consequentia et negatur propositio minor, scilicet quod nullum A erit nisi anima Antichristi erit. Et haec responsio satis est probabilis respondendo ad argumentum sicut ad unam obligationem, sed ista responsio non vadit ad argumentum, sicut alias dictum est de consimilibus responsionibus.

Ideo arguitur contra hanc responsionem sic probando hanc minorem sic: quia si anima Antichristi non erit, nullum tempus erit in quo anima Antichristi erit, et si nullum erit tempus in quo anima Antichristi erit, anima Antichristi non erit; ergo nullum erit tempus in quo anima Antichristi erit; igitur nullum erit tempus in quo anima Antichristi erit nisi anima Antichristi erit, et si sic; igitur nullum A erit nisi anima Antichristi erit.

Consequentia arguitur: illa enim convertuntur, scilicet iste terminus 'A' cum isto toto complexo 'tempus in quo anima Antichristi erit'.

Ideo pro isto forte conceditur minor sed negatur major, haec scilicet 'A necessario erit'. Dicitur enim forte, et male, quod haec 'A necessario erit' implicat quod anima Antichristi necessario erit, quod est falsum.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic probando hanc propositionem 'A necessario erit': quia hoc tempus necessario erit, et hoc est vel erit A; ergo A necessario erit.

Consequentia patet, et antecedens similiter: quia hoc est totum tempus aeternum; ergo hoc tempus necessario erit, et in hoc tempore erit anima Antichristi; ergo hoc est tempus in quo Antichristus vel ejus anima erit; ergo ipsum est A.

Ideo forte dicitur ad hoc argumentum, sicut est dicendum, nisi volueris omnino cavillare, sicut prius tactum est, negando consequentiam, sicut non sequitur 'aliquis sciens Antichristum esse futurum necessario erit, et nullus sciens Antichristum esse<sup>174</sup> futurum erit nisi Antichristus erit; ergo Antichristus necessario est futurus'. Est enim antecedens verum et consequens falsum. Nam deus qui <100rb> scit Antichristum esse futurum necessario erit. Et tamen nullus qui scit Antichristum esse futurum erit nisi Antichristus sit futurus pro tanto, quia nisi Antichristus sit futurus nullus scit Antichristum esse futurum, et si nullus scit Antichristum esse futurum, nullus qui scit Antichristum esse futurum erit, et sic a primo sequitur quod nullus qui scit Antichristum esse futurum erit nisi Antichristus erit.

Et consimiliter respondetur si ponatur, sicut communiter ponitur, quod A sit maximum tempus incipiens ab hoc instanti in cuius nullo instanti Antichristus erit, arguendo tunc sicut prius: A de necessitate corrumpetur, et non corrumpetur nisi Antichristus erit; igitur Antichristus de necessitate erit. Dicitur enim quod non valet consequentia supponendo quod illae duae consequentiae convertantur, scilicet haec nunc facta et ista 'maximum tempus incipiens ab hoc instanti in cuius nullo instanti erit Antichristus de necessitate corrumpetur, et nullum maximum tempus incipiens ab hoc instanti in cuius nullo instanti erit Antichristus corrumpetur nisi Antichristus erit; ergo Antichristus de necessitate erit'. Antecedens enim est verum et consequens falsum, et verificatur illud antecedens omnino sicut in priori exemplo verificabatur illud antecedens ibi positum.

Sed adhuc forte arguitur contra istam negatam probando, scilicet quod si A de necessitate corrumpetur et non corrumpetur nisi Antichristus erit, Antichristus necessario erit: quia sequitur 'hoc de necessitate corrumpetur, demonstrato A, et hoc non corrumpetur nisi Antichristus erit; ergo Antichristus de necessitate erit'.

Haec consequentia est bona, et haec convertitur cum priori, quia in ista solummodo A demonstratur continue; ergo et cetera.

---

<sup>174</sup> esse corr.: est V

Et quod ista consequentia sit bona arguitur sic: quia sequitur ‘hoc corrumpetur; ergo Antichristus erit’.

Consequentia probatur: quia ex opposito sequitur oppositum. Sequitur enim ‘Antichristus non erit; ergo hoc non corrumpetur’, sicut enim assumptum est in priori consequentia ‘hoc non corrumpetur nisi Antichristus erit; ergo si Antichristus non erit, hoc non corrumpetur, et si sic; ergo si hoc corrumpetur, Antichristus erit’. Et arguitur tunc sic: ista consequentia est bona, et antecedens istius est necessarium; ergo et consequens.

Quod antecedens sit necessarium patet: quia hoc de necessitate corrumpetur, sicut prius est assumptum, et illud antecedens praecise significat quod hoc corrumpetur; ergo est antecedens necessarium. Et si sic; ergo et consequens est necessarium, scilicet Antichristus erit; ergo Antichristus necessario erit.

Et forte consimiliter arguitur sub isto termino ‘A’ probando istam consequentiam valere de A sicut modo argutum est de hac ultima consequentia. Arguitur enim sic: A corrumpetur; ergo Antichristus erit, ista consequentia est bona, antecedens est necessarium; ergo et consequens.

Ad haec respondetur, et primo ad primum, quando arguitur quod ista prior consequentia valet, quia haec consequentia bene valet et cetera, et haec est convertibilis cum ista, huic dicitur negando hanc minorem.

Et si arguitur quod sic, quia in secunda consequentia demonstratur solummodo A, huic dicitur quod propter hoc non sequitur quod istae consequentiae convertantur, sicut nec convertuntur istae duae consequentiae ‘necesse est si contradictoria contingentia sint quod unum illorum sit verum; ergo necesse est si contradictoria contingentia sint quod hoc illorum sit verum, demonstrato vero illorum’. Unde sicut demonstratis duobus contradictoriis contingentibus non convertuntur istae duae propositiones ‘verum istorum est verum’ et ‘hoc istorum est verum’, demonstrato vero ipsorum, et non valet consequentia ‘verum istorum est verum; ergo hoc est verum’, sic nec convertuntur istae duae propositiones ‘A corrumpetur’ et ‘hoc corrumpetur’, demonstrato A, nec istae duae ‘A de necessitate corrumpetur’ et ‘hoc corrumpetur de necessitate’. Et sicut non sequitur ‘iste homo non est; ergo homo non est’, sic nec formaliter sequitur ‘hoc corrumpetur; ergo A <101ra> corrumpetur’, licet A solummodo demonstratur. Et causa est quia jam aliquod tempus est A, et potest esse in hoc eodem instanti quod idem tempus non sit A, sicut modo iste homo, demonstrato Socrate, est homo et cras erit ita quod iste homo non est homo.

Et per hoc patet responsio ad secundam formam, quando arguitur sic “A corrumpetur; ergo Antichristus erit”. Dicitur enim concedendo illam consequentiam, quia notum est quod ex opposito sequitur oppositum, quia si Antichristus non erit, nullum maximum tempus incipiens ab hoc instanti in cuius nullo instanti erit Antichristus corrumpetur, immo tunc maximum tempus tale foret totum tempus aeternum incipiens ab hoc instanti quod numquam corrumpetur; conceditur igitur ista consequentia tamquam necessaria sic significando.

Sed quando arguitur ulterius quod antecedens istius est necessarium, scilicet hoc ‘A corrumpetur’, huic dicitur quod non.

Et si arguitur forte ex tibi dubio sic “A de necessitate corrumpetur; ergo necesse est quod A corrumpetur, et si sic; ergo illud antecedens est necessarium ex tibi dubio”, ad hoc dicitur negando hanc consequentiam ‘A necessario corrumpetur; ergo necesse est quod A corrumpetur’, quia antecedens foret verum et consequens falsum. Et arguitur ibidem a sensu diviso ad sensum compositum, sicut hic ‘aliquod visum a te de necessitate erit; ergo necesse est quod aliquod visum a te erit’. Ponatur enim quod tu videris modo caelum, et tunc antecedens, ut notum est, est verum et consequens falsum, et consimiliter est in proposito; ergo et cetera.

Sed forte adhuc retenta eadem significatione istius termini ‘A’ arguitur aliter sic: si Antichristus erit primo in aliquo instanti; ergo in isto instanti corruptetur A; ergo si in aliquo instanti poterit Antichristus incipere esse in isto instanti, A poterit corrumpi.

Sed arguitur quod non: quia sit ita gratia exempli quod Antichristus erit primo in B instanti, et ponatur quod B erit ultimum instans centum annorum incipientium ab hoc instanti quod nunc est praesens, tunc sequitur quod A corruptetur primo in B instanti et quod A non poterit prius corrumpi.

Probo: quia illi centum anni non poterunt prius corrumpi, et illi sunt A; igitur nec A prius poterit corrumpi, sed Antichristus poterit esse in aliquo instanti ante B; ergo non in quolibet instanti poterit A corrumpi quod poterit esse primum instans in quo Antichristus erit. Vel arguitur sic: in quolibet instanti in quo Antichristus poterit esse primo poterit A corrumpi, sed in instanti medio inter instans praesens et B poterit Antichristus esse primo; igitur in isto instanti medio poterit A corrumpi, sed illud erit instans medium totius A, ut sequitur ex casu; ergo A poterit corrumpi in instanti medio sui, quod est impossibile.

Sed forte pro isto dicitur quod Antichristus non poterit esse ante B, sicut nec A poterit corrumpi ante B, quia si Antichristus erit ante B, A corruptetur in aliquo instanti ante B, ut prius argutum est, quod videtur impossibile, quia A non poterit corrumpi ante B.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: si Antichristus non poterit esse ante B, cum adhuc non sit determinatum quod ipse erit in B; ergo eadem ratione ipse non poterit esse primo in aliquo instanti post B. Et si sic, sequitur quod ipse non poterit esse primo in aliquo instanti alio quam in B, quod est falsum, quia tunc sequitur quod pater suus non poterit generare ipsum ante B nec post B, sed necessario si generabit ipsum, generabit in B.

Similiter: ex isto sequitur eadem ratione, ut videtur, quod si Antichristus numquam erit, ipse non poterit esse, quia eo quod ipse non erit ante B, ipse non poterit esse ante B, sicut ponit<sup>175</sup> ista responsio; ergo eadem ratione si ipse numquam erit, ipse non poterit esse, quod est falsum, quia multa <101rb> possunt esse quae numquam erunt.

Ideo pro isto forte dicitur, sicut est dicendum, quod Antichristus poterit esse ante B.

Et ad argumentum, quando arguitur “ergo A poterit corrumpi ante B”, negatur consequentia.

Et ulterius, quando arguitur quod si Antichristus erit in aliquo instanti ante B, A corruptetur in aliquo instanti ante B, conceditur consequentia.

Et quando arguitur ex illo “igitur si Antichristus poterit esse in aliquo instanti ante B, A poterit corrumpi in aliquo instanti seu terminari ad aliquod instans ante B”, negatur consequentia, sicut non sequitur ‘si Antichristus praecise sit pedalis quantitatis, quodlibet sibi aequale est praecise pedalis quantitatis; igitur si Antichristus poterit esse praecise pedalis quantitatis, quodlibet quod est sibi aequale potest esse praecise pedalis quantitatis’. Ponitur gratia exempli quod Antichristus nunc esset bipedalis quantitatis et posset esse praecise pedalis, tunc notum est quod non quodlibet quod est sibi aequale potest esse pedalis quantitatis, quia aliqua est pars caeli bipedalis quantitatis quae est aequalis Antichristo, et ista pars caeli non potest esse major neque minor quam ipsa modo est; ideo ipsa non potest esse praecise pedalis quantitatis licet Antichristus possit esse praecise pedalis quantitatis. Unde non valet consequentia facta, scilicet ‘si Antichristus potest esse pedalis quantitatis, quodlibet quod est sibi aequale potest esse praecise pedalis quantitatis’.

Et quando arguitur quod sic, quia si Antichristus est praecise pedalis quantitatis, quodlibet quod est sibi aequale est praecise pedalis quantitatis, huic dicitur quod bene sequitur de inesse, non tamen sequitur ultra ‘igitur si Antichristus potest esse et cetera’. Et causa est quia aliquid nunc est aequale sibi quod alias posset esse, et erit sibi inaequale, et etiam illud idem esset sibi aequale quod non est sibi aequale si foret praecise pedalis quantitatis.

---

<sup>175</sup> ponit corr.: ponitur V

Et consimiliter per omnia dicitur ad priorem consequentiam de A qua arguitur quod A poterit corrumpi per tempus ante B. Dicitur enim quod hoc est falsum per suppositum. Supponitur enim quod A non corrumpetur in aliquo instanti ante B, et notum est quod A non poterit corrumpi ante illud instans in quo ipsum corrumpetur, quia nullum tempus poterit corrumpi ante illud instans in quo corrumpetur.

Ideo A non poterit corrumpi ante illud instans.

Et ad argumentum, quando arguitur quod sic, quia possibile est quod A corrumpetur in aliquo instanti ante B, quia Antichristus poterit esse in aliquo instanti ante B, huic dicitur quod hoc est verum. Sed ex isto non sequitur quod A poterit corrumpi in aliquo instanti ante B.

Et si arguitur quod ista non stant simul ‘possibile est quod A corrumpetur ante B’ et tamen ‘nullum A poterit corrumpi ante B’, dicitur quod sic, sicut et ista ‘possibile est quod verum istorum sit ista propositio ‘nullus rex sedet’, demonstratis illis duobus contradictoriis ‘rex sedet’, ‘nullus rex sedet’’, et tamen ‘nullum verum quod est aliquod istorum potest esse ista propositio ‘nullus rex sedet’’, posito quod ista sit vera ‘rex sedet’.

Similiter: possibile est quod omne animal quod est in ista domo sit asinus, et tamen nullum animal quod est in ista domo potest esse asinus — accipiatur una illarum propositionum in sensu composito et alia in sensu diviso —, etiam satis apparet quod ista non repugnant, et eodem modo stant ista simul in proposito, scilicet ‘possibile est quod A corrumpetur ante B’, et tamen ‘nullum est A quod poterit corrumpi ante B’.

Sed forte adhuc arguitur quod non, et hoc per unam responsionem prius datam ad unum argumentum in isto sophismate. Ibidem enim dicebatur quod terminus supponens respectu verbi ampliativi, ut puta istius verbi ‘potest’, potest supponere pro eo quod est aut pro eo quod potest esse, et per hoc dicebatur <101va> ista stare simul ‘aliquod aeternum potest non esse’ et ‘omne aeternum est tale quod non potest non esse’, et hoc pro tanto quod aliquid potest esse aeternum quod nunc non est aeternum, sicut ibidem dicebatur pro anima intellectiva Antichristi. Ex isto arguitur quod male negatur in proposito quod A poterit corrumpi in aliquo instanti ante B, concedendo quod possibile est quod A corrumpetur ante B, quia vel potest aliquid aliud ab hoc esse A, demonstrato A, vel non potest. Si non potest; igitur sicut non est possibile hoc corrumpi ante B, sic nec est possibile A corrumpi ante B, cuius oppositum conceditur.

Ideo si dicitur quod quod aliud ab hoc potest esse A quod etiam potest corrumpi ante B, tunc sequitur quod aliquod A quod potest esse potest corrumpi ante B, et si sic; ergo A potest corrumpi ante B, cuius oppositum prius est positum.

Ideo pro istis est advertendum quando quaeritur an aliquid aliud ab hoc, demonstrato A, potest esse A, dicitur quod non.

Et ad argumentum, quando ulterius arguitur “ergo non est possibile quod A corrumpetur ante B sicut nec est possibile quod hoc corrumpetur ante B”, huic dicitur negando consequentiam.

Et si arguitur sic: ponatur igitur cum sit possibile quod A corrumpetur ante B, et sit E totum tempus inter hoc instans et B, et tunc arguitur quod E corrumpetur ante B, quia A corrumpetur ante B, sed A non potest esse aliud quam E, sicut ponit ista responsio; ergo E corrumpetur ante B, quod est impossibile.

Ad haec respondetur quod ista duo repugnant ‘nihil aliud ab E potest esse A’ et ‘A corrumpetur ante B’; et ideo sustinendo quod nihil aliud ab E potest esse A, non debet hoc admitti, scilicet ‘A corrumpetur ante B’.

Et si arguitur quod sic, quia sicut eadem responsio ponit quod nihil aliud ab E poterit esse A, tamen possibile est quod A corrumpetur ante B; ergo licet nihil aliud ab E poterit esse A, tamen potest admitti quod A corrumpetur ante B, cum hoc sit possibile cum isto, huic dicitur quod non valet consequentia ista qua arguitur quod debet admitti quod A corrumpetur ante B, cum hoc sit possibile licet nihil aliud ab E poterit esse A, quia licet unum istorum sit verum et reliquum sit possibile, ista duo tamen non sunt compossibilia. Unde posito quod Socrates sit

omne existens in ista domo, adhuc est possibile quod omne animal quod est in ista domo sit asinus, et tamen tunc nihil potest esse animal quod est in ista domo nisi Socrates. Ideo concesso quod Socrates est in ista domo, non debet admitti quod omne animal quod est in ista domo est asinus, licet hoc sit possibile, quia est repugnans. Et ideo sicut tunc non valet haec consequentia ‘possibile est quod omne animal quod est in ista domo sit asinus, et nihil potest esse animal quod est in ista domo nisi Socrates; ergo possibile est quod Socrates sit asinus’, sic nec valet consequentia prius facta ‘possibile est quod A corrumpetur ante B, et nihil potest esse A nisi E; ergo possibile est quod E corrumpetur ante B’, quia licet nihil aliud ab E poterit esse A, tamen possibile est quod aliquid aliud ab E sit A, sicut possibile est quod aliud animal quod est in ista domo sit aliud a Socrate, licet tamen nullum quod erit animal in ista domo potest esse aliud a Socrate. Accipitur enim una in sensu composito et alia in sensu diviso, et ista satis bene stant simul.

Aliter arguitur ad principale sic: sit A primum instans in quo Antichristus erit, ut in primo casu, et arguitur tunc ut prius quod anima Antichristi necessario erit post A, quia anima Antichristi vel erit necessario post A vel contingenter, sed non erit contingenter post A, quia tunc qua ratione ipsa erit contingenter post A in aliquo instanti, sequitur quod in quolibet instanti post A ipsa erit contingenter post A, et tunc sequitur quod per tempus aeternum ipsa erit contingenter.

Quod arguitur esse falsum: quia si per tantum tempus erit ipsa contingenter, sequitur quod aliquando in isto tempore erit ita quod ipsa est contingenter, consequens falsum, quia quandocumque erit ita quod ipsa est, erit ita quod ipsa necessario est.

Similiter: si nunc sit ita quod <101vb> ipsa erit contingenter post A, cum non aeternum erit ita quod ipsa erit contingenter post A; ergo aliquando desinet esse ita; aut igitur ante A vel in A vel post A. Si in A vel ante A, sequitur quod prius desinet esse ita quod ipsa erit contingenter post A quam ipsa erit contingenter post A.

Consequentia patet: quia nec in A nec ante A erit illa contingenter post A, sed solummodo post A ipsa erit contingenter post A; ergo et cetera, et consequens videtur esse impossibile, scilicet quod prius desinit esse ita quod ipsa erit contingenter post A quam ipsa erit contingenter post A. In aliis enim est impossibile: quod enim Socrates prius desinet esse albus quam ipse erit albus vel quod prius desinet esse ita quod Socrates erit albus quam ipse erit albus est mere impossibile, et sic de aliis infinitis.

Ideo si dicitur quod post A desinet esse ita quod anima Antichristi erit contingenter post A, contra: sicut prius quodammodo tactum est, in nullo instanti post A desinet esse ita quod ipsa erit contingenter post A, quia in nullo instanti post A erit ita quod ipsa erit contingenter post A, quia tam in A quam etiam in quolibet instanti post A erit ita quod ipsa necessario erit post A, et sequitur <quod> ipsa necessario erit post A; ergo ipsa non erit contingenter post A, et consequentia haec sic significans in quolibet instanti post A erit bona, et antecedens erit verum; ergo et consequens. Patet igitur quod in nullo instanti post A erit ita quod ipsa anima erit contingenter post A et si sic; igitur in nullo instanti post A desinet esse ita quod ipsa erit contingenter post A, quia tunc sequitur quod in aeternum post A desinet esse ita quod ipsa erit contingenter post A, et tamen in nullo instanti post A erit ita quod ipsa erit contingenter post A.

Ideo forte dicitur, sicut est dicendum, quod ante A desinet esse ita quod ipsa erit contingenter post A.

Et ad argumentum prius factum, quo arguitur quod prius desinet esse ita quod ipsa erit contingenter post A quam ipsa erit contingenter post A, dicitur concedendo conclusionem.

Et quando dicitur quod similis conclusio in aliis terminis est impossibilis, conceditur quod hoc est verum, et dicitur quod haec conclusio concessa consistit per terminos multum compositos et non est propositio simplex sic, ut alias dictum est. Et ideo non sequitur licet aliqua talis



propositio in terminis simplicibus sit impossibilis quod ista sit impossibilis. Unde, sicut prius probatum est, ista anima in aeternum erit contingenter, et tamen numquam erit ita quod ipsa est contingenter. Sed quaecumque erit ipsa anima, tunc erit ita quod ipsa necessario est. Consimilis tamen conclusio cum hoc verbo 'erit' in terminis simplicibus foret impossibilis. Esset enim impossibile quod Socrates erit albus et numquam erit ita quod Socrates est albus, quod Socrates est homo et numquam erit ita quod Socrates est homo, quod Socrates erit, et numquam erit ita quod Socrates est, et sic de aliis; ideo et cetera.

Sed forte arguitur adhuc quod data responsio sit falsa, scilicet quod ante A desinet ita esse quod ipsa anima erit contingenter post A, quia tunc sequitur quod ante A erit ita quod ipsa anima erit necessario post A, et tunc antequam ipsa anima erit, erit ita quod ipsa erit necessario.

Et arguitur quod non: quia cum jam non sit ita quod ipsa anima necessario erit post A, et aliquando ante A erit ita quod ipsa necessario erit post A; igitur aliquando ante A incipiet esse ita quod ipsa necessario erit post A.

Consequentia haec probatur: quia jam est haec propositio falsa 'ista anima necessario erit post A, et aliquando ante A erit ista vera sic significando; ergo aliquando ante A ipsa incipiet esse vera; ergo tunc incipiet esse ita sicut ipsa significat, sed ipsa praecise significat quod ipsa anima necessario erit post A; ergo et cetera.

Et tunc arguitur sic: in <102ra> aliquo instanti ante A incipiet esse ita quod ipsa necessario erit post A; ergo in isto instanti erit ita quod non potest impediri quin ista anima erit, et tamen continue ante illud instans potuit ista anima non fuisse futura.

Sed arguitur quod hoc est impossibile: quia sit illud instans D gratia exempli. Et arguitur sic: in D instanti non erit aliqua causa productiva istius animae in aliqua proportione fortior quam eadem causa erit immediate ante D instans, ceteris paribus posito, scilicet quod continue fortificetur quaelibet causa istius successive ab hoc instanti quod est praesens usque ad D instans. Et arguitur tunc sic: in nulla proportione erit aliqua causa productiva istius animae fortior in D instanti quam immediate ante D, sed immediate ante poterit quaelibet causa impediri ab aliquo agente finito; ergo in D instanti poterit quaelibet causa impediri ab aliquo agente fortiori.

Similiter: quamcumque proportionem habeat aliqua causa ad istum effectum in D instanti, aequalem proportionem potest aliquod agens contrarium habere ad impediendum istum effectum in eodem instanti.

Similiter: si continue ante D potuit iste effectus impediri ab aliquo agente finito; igitur etiam in D instanti poterit ille effectus impediri ab aliquo agente fortiori — aliter sequitur quod infinitum difficilius erit impedire istum effectum in D instanti quam in aliquo instanti ante D, quia tunc non poterunt aliqua agentia ipsum impedire, sicut ponit ista responsio, et continue ante poterit aliquod agens satis debile impedire ipsum.

Similiter: tunc non poterit impediri quin ipsa anima erit; ergo jam est verum quod ipsa necessario erit, quod est falsum.

Et consequentia ista arguitur sic: quia sicut in D antequam ipsa erit erit verum quod ipsa necessario erit, ita ante D erit verum quod talis causa quae erit in D necessario erit. Ponitur igitur quod in E instanti erit ita quod ista causa necessario erit in D, et arguitur tunc sic: pro E instanti ista causa necessario erit in D, sed si ista causa erit in D, ipsa anima necessario erit post A; ergo in E instanti erit ita quod ipsa anima necessario erit post A vel in A, quod est falsum et contra responsionem datam.

Et consequentia arguitur: quia in E instanti valebit haec consequentia 'ista causa erit in D; ergo ista anima erit in A', et tunc antecedens est necessarium, sicut prius argutum est; ergo et tunc erit consequens illud necessarium, et si sic; ergo tunc erit ita quod ista anima necessario erit in A.

Et consimiliter arguitur quod nunc est ita quod ipsa necessario erit in A, arguendo de una causa priori omnino sicut de ista quae erit in D probando, scilicet quod ante D erit necessarium quod ista causa erit in E, et sic de aliis per omnia sicut jam argutum est de una.

Ideo forte dicitur in principio, sicut est dicendum, ad hoc argumentum, scilicet quod in D instanti incipiet esse ita quod ipsa anima necessario erit, exponendo ly 'incipit' per remotionem de praesenti et positionem de futuro ut sic verificetur ista propositio, scilicet in D instanti non erit ita quod ista anima necessario erit', sed immediate post D instans erit ita quod ista anima necessario erit.

Et si arguitur tunc quod in D instanti ista anima poterit impediri; ergo et immediate post D instans ipsa poterit impediri, dicitur consequentiam concedendo. Unde non conceditur quod post D instans ista non poterit impediri, sed quod continue post D instans erit ita quod ista non poterit impediri. Sed ex hoc non sequitur quod post D instans ista non poterit impediri, sicut prius frequenter declaratum est, quod non uniformiter tenetur hujusmodi consequentiae.

Sed adhuc videntur stare argumenta prius facta; ideo ad ea respondetur, et primo ad primum, quando dicitur quod in D instanti erit ita quod ista anima necessario erit, dicitur quod non, sed tunc incipiet esse ita sicut jam dictum est ita quod tunc non erit ita, sed immediate post D erit ita et cetera.

Et tunc <102rb> ad argumentum, si arguitur quod immediate post D erit ita quod illa anima poterit impediri, huic dicitur quod hoc est verum, nec hoc negatur, sicut prius dictum est.

Et si arguitur quod non immediate post D erit ita quod ipsa non poterit impediri, quia non immediate post D erunt omnes causae productivae istius animae in aliqua proportione sensibili fortiores quam ipsae erunt in D ceteris paribus, sicut prius dictum est, sed in D instanti potuerunt satis faciliter impediri; ergo immediate post D instans erit ita quod ipsae potuerunt impediri ne producant illam animam, respondetur negando consequentiam.

Et quando arguitur ex isto quod immediate post D instans erit ita quod istae causae erunt in infinitum fortiores ad producendum istam animam quam in D instanti fuerunt, huic dicitur etiam quod hoc est impossibile, nec hoc sequitur ex aliquo prius posito.

Et si tunc arguitur quod sic, quia tunc erit ita quod illae causae vel illa causa non poterit impediri, et tamen in D instanti satis faciliter poterunt impediri, huic dicitur quod hoc potest esse licet illae causae non sint sensibiliter fortiores, immo licet forent multo debiliores quam in D instanti. Et hoc pro tanto, quia istae potentiae contrariae quae tunc satis bene fuerunt approximatae ad impediendum jam non sunt nec possunt <a>pproximari vel forte non sunt approximatae ad impediendum sicut tunc fuerunt. Sicut posito quod puer habuisset avem in manu sua quae evolasset ab eo, tunc non posset detinere eam licet avis esset satis debilior ad volandum quam fuit quando habuit eam in manu sua, quando tamen habuit eam in manu sua, satis bene potuit tenere eam; ideo licet puer sit fortior quam prius fuit et avis debilior, non sequitur propter hoc quod si prius potuit detinere avem illam adhuc possit detinere eam. Et consimiliter dicitur in proposito.

Sed quia hoc non sufficit pro secunda forma prius facta in hoc argumento; ideo respondetur ad eam, quando scilicet arguitur quod si in D instanti incipiet esse ita quod haec anima erit necessario in A vel post A; ergo eadem ratione in aliquo instanti ante D erit necessarium quod ista erit in D vel quod talis causa erit in D, negatur consequentia, sicut communiter ponitur exemplum de molari descendente quod ipse necessario descendet ad centrum, quia cum erit ad G punctum, tunc erit necessarium quod descendet ad centrum, quia tunc non poterunt aliqua agentia impedire quin deveniet ad centrum, sit ergo unus punctus distans a centro  $\mu$  di per minimum sensibile vel per unam modicam distantiam, et sicut arguitur quod cum molaris ista fuerit ad G; ergo necessario erit in centro, ita arguitur quod cum fuerit in puncto superiori aequaliter distanti a G, tunc deveniet necessario ad G, et sic arguitur de omnibus punctis mediis inter supremum et ultimum. Et circa istud est advertendum quod

propter casum istum frequenter negant multi consequentia a primo ad ultimum, concedendo tamen omnes consequentias intermedias.

Quae responsio tamen includit contradictionem: sint ergo tria puncta quorum quodlibet distet aequaliter a reliquo quae sint B, C, D, et sit mobile A. Et arguitur sic: si A erit in B, A erit in C; et si erit in C, ipsum erit in D; ergo a primo si erit in B, erit in D; antecedens est necessarium sic, scilicet quod non potest impediri quin A erit in B vel fuerit in B vel est in B; ergo consequens isto modo est necessarium.

Pro isto negatur consequentia a primo ad ultimum, et est dicendum quod non valet consequentia 'A erit in C; ergo A erit in D'.

Et ad argumentum, quando arguitur quod sic, quia sequitur 'A nunc est in hoc situ; ergo erit ad B punctum'; ergo eadem ratione immo consimiliter omnino sequitur 'si A erit in B, A erit in C; ergo si est in C, erit in D', consimiliter huic dicitur quod nulla talis consequentia est formalis <102va> nec est simpliciter bona ita quod quaecumque fuit vel est vel erit, fuit vel sit vel erit talis consequentia bona, sed jam de praesenti valet haec consequentia 'A est in hoc situ; ergo erit ad B punctum' omnino sicut valet modo haec consequentia 'hoc instans est, demonstrando instans quod nunc est praesens; ergo tu non curris', 'hoc instans est; ergo Socrates non vult A volubile', et sic de talibus. Jam enim forte sunt tales consequentiae bonae, sed hoc est per accidens. Prius enim aliquando non valuerunt tales consequentiae, quia aliquando potuit fuisse quod in hoc instanti cucurrisses vel fuisses Romae, et sic de talibus, et similiter dicitur in proposito. Nam licet modo sequitur 'A est in hoc situ cum istis circumstantiis; ergo erit ad B punctum vel in B situ', tamen propter hoc non sequitur quod si A erit in B situ; ergo erit in C vel in D, quia quamvis erit in B non sequitur quod erit in B cum illis circumstantiis propter quas erit in C, quia forte cum venerit ad B, erit A impeditum ne ipsum moveatur ulterius, licet tamen non prius potuit A impediri ne veniret ad B vel saltem licet A prius non impediretur quin deveniret ad B. Quia in rei veritate non est dare minimum tempus in quo potest impediri, sed maximum in quo non potest. De isto tamen non curatur ad praesens; dicitur ergo quod non valet ista consequentia 'A erit in B; ergo A erit in C'.

Et si arguitur quod ista consequentia est bona de praesenti, sicut prius argutum est, 'A est in B; ergo erit in C' sicut et ista modo valet 'A est in hoc situ, demonstrato isto in quo nunc est; ergo erit in B', huic dicitur quod ista consequentia non valet. Sed forte in B instanti valebit sicut modo valet alia.

Et si arguitur quod si ista consequentia valebit in B instanti et tunc significabit omnino sicut nunc significat; igitur et nunc valet, huic dicitur quod hic non sequitur. Talis enim consequentia quae nunc valet per accidens nunc valet forte et numquam valebit nec valuit sic significando, sicut prius fuit exemplificatum de ista consequentia 'hoc instans est; ergo Socrates non vult A volubile<sup>176</sup>' et sic de aliis quae valent per accidens tantum et numquam prius valuerunt sic significando. Unde juxta hoc est advertendum quod licet de aliqua re futura in aliquo instanti, antequam ipsa erit, erit necessarium quod ipsa fuit vel est vel erit, non tamen de qualibet re erit consimiliter necessarium quod ipsa fuerit vel erit. Sed aliqua in quolibet instanti antequam ipsa erit poterit impediri et in quolibet instanti antequam ipsa erit, erit ita quod ipsa satis poterit impediri quod ipsa non erit, ut posito quod Socrates moveatur localiter ad punctum A voluntarie omnino. Tunc in quolibet instanti antequam tanget A punctum, ipse poterit satis bene et libere non esse tacturus A punctum, et sic de aliis multis effectibus futuris, non tamen de omnibus. Posito enim, ut prius, quod molaris descendat et non sint ibi aliqua praesentia quae possint ipsum impedire ne descenderet ad A punctum, tunc notum est quod non in quolibet instanti antequam deveniet ad A punctum poterit impediri ne tangat seu deveniat ad A punctum.

---

176 volubile corr.: volubile V

Similiter: si modo sit ignis approximatus aqua sufficienter, jam pro hoc instanti non potest impediri quin agat vel incipiat agere, prius tamen potuit impediri. Et consimiliter per omnia dicitur de ista anima producenda, scilicet quod in aliquo instanti antequam ipsa erit, erit ita quod ipsa poterit impediri ne erit, et in aliquo instanti antequam erit, erit ita quod non poterit impediri quin ipsa erit. Et hoc satis apparet per exempla frequentissime jam posita. Licet enim jam non sit aliquod expediens ne molaris ille deveniet ad B punctum, tamen antequam deveniet ad C punctum satis poterit impediri ne deveniet ad D, et sic dicitur in proposito.

Et per hoc satis apparet responsio ad ultimam formam, qua arguitur quod si in aliquo instanti antequam <102vb> ipsa anima erit, erit ita quod ipsa necessario erit, propter hoc etiam modo est ita quod ipsa necessario erit. Notum est enim per haec jam dicta quod illud non sequitur.

Et juxta jam dicta est advertendum quod licet in casu sophismatis non ponatur quod Antichristus sit, sed erit et jam non sit, non propter hoc debet sophisma negari sed dubitari, sicut deberet nullo casu supposito. Et causa est quia jam forte sunt causae productivae Antichristi sic dispositae quod pro nunc non possent impediri quin ista anima erit. Et forte ideo nec est necessarium quod ista anima erit, demonstrata anima Antichristi, et ita forte modo est verum quod anima Antichristi necessario erit; ideo et cetera.

Et juxta hoc arguitur ad principale sic: signentur omnia quae possunt promovere ad productionem istius animae et omnia quae possunt impedire ne ista anima erit. Et arguitur tunc sic: ista omnia promoventia vel sunt fortiora quam omnia impediencia vel debiliora vel aequalia. Si aequalia vel debiliora, cum jam accepta sint omnia quae possunt promovere, sequitur quod cum ipsa sint aequalia vel debiliora ipsis impediencia, quod illa anima non potest produci; ergo si ipsa non erit, ista non necessario erit. Et si ista promoventia sint fortiora quam omnia impediencia; ergo sequitur quod nulla possunt impedire quin ista anima erit seu producat; igitur si producat, ipsa necessario producat, sed per casum primum ipsa erit; igitur, ut nunc argutum est, ista necessario erit.

Sed pro isto dicitur quod illud assumptum est impossibile, scilicet ‘aliqua sint omnia quae possunt impedire productionem illius animae vel aliqua sint omnia quae possunt impedire productionem illius’, quia jam sunt infinita quae possunt promovere et infinita possunt esse promoventia quae numquam erunt promoventia. Et similiter impediencia et non possunt aliqua imaginari promoventia quin etiam alia possint esse promoventia. Et ideo includit contradictionem quod aliqua forent omnia quae possunt promovere et quae possunt impedire. Et si arguitur de praesenti, scilicet signentur omnia quae nunc sunt promoventia et omnia quae nunc sunt impediencia et concludatur ut prius, dicitur quod argumentum non procedit ad aliquam partem, quia quaecumque nunc sunt promoventia, alia etiam quae nunc non sunt possunt esse impediencia; ideo et cetera.

Aliter arguitur ad principale sic: si anima Antichristi est futura et non necessario est futura, aut ergo est dare maximum tempus per quod illa anima potest esse necessario futura aut minimum tempus per quod non potest esse necessario futura, et hoc distinguendo futurum contra praesens, ista consequentia patet.

Sed arguitur istam non valere pro utraque parte disjuncti. Primo pro prima parte: nam non est dare maximum tempus per quod ista potest esse futura, posito quod ista poterit esse vel non esse indifferenter, quia signetur tempus illud quod sit A. Et arguitur tunc sic: per totum A tempus poterit ista anima esse futura; ergo in fine A temporis poterit ista anima esse primo, sed in quolibet instanti in quo poterit esse illa primo, in aliquo post illud poterit illa esse primo; ergo post finem A ista poterit esse primo; ergo per majus tempus quam per A ista poterit esse futura.

Similiter: si non per majus tempus quam per A poterit ista esse futura, tunc sequitur quod non posset generari nisi ab isto homine, demonstrato isto qui generabit illum, nec ab alia muliere

nisi ab ista qui in rei veritate erit mater sua, quod non est verum, quia aliquis homo, ut B homo, poterit generari ab aliquo homine, quia tamen B homo numquam generabitur, sicut in rei veritate multi possunt esse homines qui tamen numquam erunt. Iste tamen B homo potest generari ab aliquo homine, <103ra> et qua ratione potest generari ab uno homine, a quolibet sufficienti ad generationem poterit idem B generari. Nulla enim assignari ratio posset quare posset B homo generari ab uno homine ita quod non ab alio. Et qua ratione duo erunt homines quorum uterque poterit generare B, sequitur quod duo erunt homines quorum uterque poterit generare Antichristum, et si sic, sequitur quod per majus tempus quam per A poterit Antichristus esse futurus.

Similiter: si anima Antichristi posset perficere aliam materiam omnino quam erit ista quam ipsa perficiet, iste posset ab alio homine generari, quia ad diversitatem materiae secundum numerum diversificabitur forma illa seu anima secundum numerum, sicut nec propter diversas partes materiales quas tu habes modo alias quam in primo instanti esse tui habuisti es tu modo alius quam tu fuisti; ergo idem Antichristus potest a diversis generari sicut per diversa alimenta potest nutriri et generari.

Ideo forte pro isto dicitur, sicut est dicendum, quod est dare minimum tempus per quod Antichristus non poterit esse futurus, et illud est totum tempus aeternum, quia per illud tempus non potest Antichristus esse futurus, sed per quodlibet tempus futurum minus potest esse futurus.

Et si arguitur contra illud de virtute sermonis: quia illud tempus infinitum non est modicum tempus; ergo non est minimum tempus per quod Antichristus non poterit esse futurus, huic satis probabiliter potest dici et dicitur quod non valet haec consequentia, quia ex isto antecedente 'hoc est minimum et cetera' non sequitur quod hoc tempus est minimum, nec quod hoc tempus est modicum, sicut apparet satis ex communi modo loquendi.

Sed forte ad propositum arguitur sic: si per quodcumque tempus finitum poterit Antichristus esse futurus; ergo per aliquod tempus poterit Antichristus esse futurus, et per tempus duplum ad illud, et quadruplum ad illud, et sic deinceps; igitur per tempus infinitum poterit Antichristus esse futurus.

Et arguitur quod non: quia non est possibile Antichristum nec aliquid aliud esse futurum per tempus infinitum, quia si sic, ponatur, et tunc sequitur quod Antichristus erit et non erit. Et arguitur similiter quod in nullo instanti erit ipse.

Probat: quia in quolibet instanti erit ipse futurus, et in nullo instanti erit in quo ipse erit futurus; ergo et cetera.

Similiter: ex hac responsione sequitur quod a diversis hominibus potest Antichristus generari, et tunc qua ratione ab uno poterit generari, sequitur quod a quolibet sufficienti alio a seipso poterit generari, et tunc sequitur quod ipse poterit generari a filio suo, et quod ipse poterit generare patrem suum et matrem suam, et sic de aliis, quae omnia apparent et sunt impossibilia.

Ideo pro isto dicitur primo, quando arguitur quod Antichristus poterit esse futurus per tempus infinitum, dicitur quod hoc est impossibile, nec hoc sequitur nec sequitur quod per tempus infinitum poterit Antichristus esse futurus, sed sequitur quod per infinitum tempus poterit Antichristus esse futurus, et hoc est concedendum.

Et ulterius, quando arguitur quod non, quia non est possibile quod per infinitum tempus Antichristus erit futurus; ergo non per infinitum tempus poterit esse futurus, huic dicitur negando istam consequentiam, sicut prius frequentissime negata est consimilis, sed si Antichristus posset esse futurus per tempus infinitum, bene sequeretur quod esset possibile ipsum esse futurum per tempus infinitum, sed antecedens est impossibile sicut consequens, et similiter est ista propositio impossibilis 'per tempus infinitum potest Antichristus esse futurus'. Et si quaeritur quare istae propositiones sunt impossibiles et non jam concessae, scilicet quod per infinitum tempus potest Antichristus esse futurus, huic dicitur quod facilis

est causa diversitatis, quia in ultima propositione concessa, iste terminus 'infinitus' tenetur sincategorematice et denotatur solummodo per istam propositionem quod per aliquod tempus finitum potest Antichristus esse futurus et non per tantum quin per majus, scilicet duplum et quadruplum ad illud poterit ipse esse futurus, et sic in infinitum, et hoc est verum. In aliis vero propositionibus impossibilibus <103rb> iste terminus 'infinitum' tenetur categorematice et significatur per eas quod Antichristus poterit esse futurus per tempus infinitum. et quod est possibile, et quod Antichristus in aeternum erit futurus, quod claudit formaliter contradictionem. Et causa quare isti termini sic diversimode tenentur in istis propositionibus est prius dicta in primo sophismate; ideo et cetera.

Sed forte aliter sic arguitur contra hanc responsionem: si per infinitum tempus poterit Antichristus esse futurus; ergo Antichristus diutius poterit esse futurus quam in rei veritate ipse erit futurus. Ponitur enim quod ipse sit futurus, et si sic; ergo Antichristus poterit citius generari quam ipse generabitur; igitur et citius corrumpi quam ipse corrumpetur; ergo eadem ratione ipse poterit corrumpi antequam ipse generabitur.

Et si negatur consequentia, contra arguitur quod sic: quia ipse poterit corrumpi ante A instans, ponatur, et cum hoc stat satis quod A instans erit primum instans in quo Antichristus erit, quia, sicut ponit responsio, in aliquo instanti generabitur et potest ante illud instans generari. Arguitur tunc sic: Antichristus potest corrumpi ante A, et ipse primo generabitur in A instanti; ergo ipse poterit corrumpi ante illud instans in quo ipse primo erit; igitur ante instans in quo generabitur.

Ideo forte bene conceditur haec conclusio arguta, sed tamen dicitur quod ex hac non sequitur prior, scilicet quod ipse poterit corrumpi antequam ipse generabitur.

Sed si hoc arguitur, dicitur negando consequentiam et consimiliter istam consequentiam 'Antichristus poterit corrumpi antequam Socrates generabitur, et Socrates aequo cito praecise generabitur sicut Antichristus; ergo Antichristus poterit corrumpi antequam ipse generabitur'.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: ista responsio nullum colorem habet pro suo fundamentuo nisi quod non est possibile quod Antichristus corrumpetur antequam generabitur, sed illud nihil est, quia tunc consimiliter haberet negare omnes istas propositiones 'Antichristus potest generari citius quam ipse generabitur', 'ipse potest esse major quam ipse est vel erit', 'ipse poterit esse pejor quam ipse erit', et sic de talibus multis quae omnes conclusiones, ut notum est, sunt satis verae; ideo consequenter respondendo, conceditur ista propositio, scilicet 'Antichristus poterit corrumpi antequam ipse generabitur'.

Et si arguitur quod non, quia non est possibile quod ipse corrumpetur antequam ipse generabitur, dicitur negando consequentiam, sicut etiam neganda est in consimilibus.

Ad alias propositiones prius argutas, scilicet quod per infinitum tempus poterit Antichristus esse futurus, ipse poterit generari a filio suo et poterit generare patrem suum, dicitur quod nulla istarum sequitur, bene tamen sequitur quod Antichristus poterit generari ab uno homine qui poterit esse filius Antichristi, et ipse poterit generare unum hominem qui poterit esse pater Antichristi, et sic de aliis. Ex isto tamen non sequitur quod ipse poterit generare patrem suum neque matrem suam, unde si arguitur secundo, neganda est consequentia.

Aliter arguitur ad principale sic: ponatur<sup>177</sup> quod Antichristus nunc sit, sed hoc lateat te. Quo posito, arguitur sic: Antichristus est; ergo anima Antichristi necessario est', consequentia patet.

Sed arguitur quod non valet: quia si anima Antichristi necessario est; igitur ipsa necessario erit.

---

<sup>177</sup> ponatur corr.: penatur V

Et arguitur quod non: quia si modo est necessario, et ipsa necessario erit; ergo ipsa semper necessario erit.

Et arguitur quod non: quia in nullo instanti necessario erit, nec in aliquo tempore futuro necessario erit; ergo numquam necessario erit, consequentia patet.

Et assumptum arguitur: quia quocumque tempore finito dato, in isto tempore aliquando non erit ista anima; ergo in isto tempore poterit non esse, quia quando non erit in isto tempore, poterit non esse in isto tempore; ergo non necessario erit in isto tempore. Et consimiliter arguitur de quocumque instanti futuro.

Sed forte dicitur pro isto, sicut est dicendum, concedendo, scilicet quod non necessario erit ista anima in isto tempore futuro, quocumque dato, nec necessario erit in isto instanti, quodcumque signetur. Sed in isto tempore <103va> necessario erit ista anima, et consimiliter in quolibet instanti futuro erit ista anima necessario.

Contra hanc responsionem arguitur: necesse est quod ista anima erit in quolibet instanti futuro et in quolibet tempore finito futuro; ergo ista anima necessario erit in quolibet instanti futuro.

Consequentia patet, et assumptum arguitur sic: aliqua propositio necessaria significat praecise quod ista anima erit in quolibet instanti futuro, et omnis propositio necessaria significat sicut necesse est esse; ergo et cetera.

Antecedens probatur: quia haec propositio est necessaria sic significando 'ista anima erit in quolibet instanti futuro'; ergo et cetera.

Ideo pro isto posito dicitur, sicut est dicendum, concedendo conclusionem, scilicet 'ista anima necessario erit in quolibet instanti futuro'.

Et si arguitur ex ista quod ista anima necessario erit in instanti illo vel in illo, et sic de aliis, ad quamlibet istarum dicitur negando consequentiam. Sicut enim non sequitur 'de necessitate omnis homo est animal, Socrates est homo; ergo de necessitate Socrates est animal', sic nec sequitur 'de necessitate 'ista anima erit in quolibet instanti futuro, et hoc est vel erit unum instans futurum; ergo de necessitate ista anima erit in isto instanti'.

Et si arguitur ex isto quod in nullo instanti futuro necessario erit ista anima, quod fuit prius argutum sic: ista anima non necessario erit in isto instanti; ergo in isto instanti non necessario erit, sicut sequitur in aliis terminis 'non necessario eris in hoc loco; ergo in hoc loco non necessario eris', huic dicitur quod haec ultima consequentia bene valet, sed prior non, nec sequitur 'haec ultima consequentia valet; ergo et prior'.

Et si quaeritur causa diversitatis ex quo est consimilis modus arguendi utrobique, dicitur quod haec ultima consequentia est bona, quia antecedens istius convertitur cum antecedente ejusdem, sed sic non est in priori consequentia. Haec enim propositio 'haec anima necessario erit in hoc instanti' significat quod non potest esse quin ipsa erit in hoc instanti, sed haec propositio 'in hoc instanti necessario erit haec anima' significat quod in hoc instanti non poterit esse quin ista anima erit. Unde haec propositio de praesenti 'in hoc instanti est haec anima necessario' non convertitur cum ista 'anima necessario est in hoc instanti'.

Quod satis apparet: quia prima in casu vera est sic significando, scilicet quod in hoc instanti necesse est esse hanc animam esse, et hoc est verum, et alia est falsa significando quod necesse est hanc animam esse in hoc instanti. Sed sic diversimode non significant hae propositiones 'in hoc loco necessario est hoc locatum' et 'hoc locatum necessario est in hoc loco', quia nimis extraneum foret attribuire primae illarum propositionum hunc sensum, scilicet quod in hoc loco est aliquid necessario quod est locatum, quia foret isto modo concedendum quod in Socrate est aliquid necessario et in quolibet homine est aliquid necessario, quia in quolibet homine est aliquid quod necessario est, scilicet anima intellectiva, nec potest dici quod in hoc loco est tale vel tale necessario, quia in hoc loco est necessarium tale vel tale esse, quia ista starent simul, scilicet quod in hoc loco non est tale aliquid et tamen in hoc loco necessarium est tale esse. Sequitur igitur quod nullus assignabitur sensus primae propositionis earum quin et ille idem rationabiliter assignabitur secundae earundem, et sic

istae duae convertuntur et non aliae duae priores; patet igitur quod una istarum consequentiarum est bona et alia non valet.

Sed forte arguitur contra hoc sic: si in medio instanti crastinae diei necessario erit haec anima, et non necessario erit in isto instanti; igitur tunc necessario erit in aliquo instanti; ergo vel erunt simul duo instantia vel tunc erit in aliquo instanti quod tunc non erit, quorum utrumque est impossibile.

Et consequentia arguitur sic: ponitur enim gratia exempli quod anima Antichristi erit in A instanti, sicut prius ponebatur, et modo sit ante A instans. Et arguitur tunc sic: in A instanti ista anima necessario erit, et quaecumque ista erit, necessario erit in aliquo instanti; ergo in A instanti ipsa erit necessario in aliquo instanti.

Consequentia patet, et major <103rb> est concedenda, et minor probatur: quia quaecumque ista anima erit, necesse est istam fore in aliquo instanti, quia in aeternum erit ita quod ista anima necessario erit in aliquo instanti, et si sic, sequitur quod quaecumque ista anima erit, ipsa necessario erit in aliquo instanti.

Et arguitur quod non: quia quando erit in A, non necessario erit in A nec in instanti alio ab A. Similiter arguitur sic: nunc ista anima necessario est in aliquo instanti, et non necessario est in aliquo instanti quod nunc non est praesens, quia tale non est; ergo necessario est in hoc instanti quod est praesens.

Huic dicitur concedendo totum usque ad istam propositionem 'in A instanti ista anima necessario erit in aliquo instanti' et conceditur etiam ista quod tunc necessario erit in A instanti vel in instanti quod non erit A.

Sed quando arguitur "tunc non necessario erit in A; ergo tunc necessario erit in instanti quod non erit A", respondetur quod non valet consequentia. Sicut posito per possibile quod necesse foret ista duo contradictoria contingentia esse sic significando 'rex sedet', 'nullus rex sedet', tunc sequitur, ut notum est, quod necessario alterum istorum foret verum, et non necessario foret ista affirmativa vera nec necessario foret ista negativa vera; et ideo, sicut tunc non valeret ista consequentia 'necessario alterum istorum est verum, et non necessario est haec vera; ergo necessario est haec vera', sic nec modo valerent istae consequentiae prius factae de futuro aut de praesenti. Arguitur enim a sensu composito vero ad sensum divisum falsum sicut hic 'necessario in tali instanti erit homo, et in isto instanti non erit Socrates; ergo necessario erit aliquis homo qui non erit Socrates'. In aliis terminis est etiam huiusmodi turpissimus modus arguendi, ut hic 'scio quod alterum istorum contradictoriorum contingentium est verum, et non scio illud esse verum nec scio quod illud non est verum; ergo scio quod hoc est verum'. Consequentia enim haec non indiget negatione; ideo et cetera.

Sed adhuc arguitur contra hanc propositionem prius concessam probando, scilicet quod in nullo instanti futuro necessario erit haec anima, posito quod ipsa nunc sit: quia si in aliquo instanti futuro necessario erit ista anima; ergo post illud instans erit ita quod in isto instanti ipsa fuit necessario, et eodem modo, posito quod ista prius fuisset, sequitur quod ista ante hoc instans quod nunc est fuit necessario.

Et arguitur quod non: quia quaecumque ista fuit, ista fuit contingenter.

Probatur: quia in quolibet instanti et in quolibet tempore in quo ipsa fuit, ipsa potuit non fuisse; ergo et cetera.

Assumptum arguatur sic: in primo instanti in quo illa fuit, ista potuit non fuisse, quia ipsa potuit adhuc fuisse futura, et si adhuc fuisset futura, distinguendo futurum contra praesens, ista non fuisset in isto instanti; ergo et cetera.

Huic dicitur primo, quando arguitur quod quaecumque ipsa anima fuit, ipsa fuit contingenter, negando istam propositionem, quia quaecumque ipsa fuit, ipsa fuit necessario.

Et ad argumentum, quando arguitur quod in primo instanti in quo ipsa fuit, ipsa potuit non fuisse, negatur ista.



Et ad argumentum, quando arguitur quod tunc adhuc potuit fuisse futura, conceditur hoc et etiam conceditur consequens, scilicet quod ista potuit non fuisse in isto instanti. Sed ultra non sequitur quod in isto instanti ista potuit non fuisse, quia in isto instanti non fuit possibile ipsam non esse nec ista tunc fuit potens ad non esse, tamen ante illud instans ista potuit non fuisse in isto instanti; ideo conceditur quod non necessario fuit in isto instanti, sed contingenter fuit in isto instanti. Sed tunc ultra non sequitur quod ipsa fuit contingenter, sicut non sequitur ‘deus est contingenter in instanti quod est praesens; ergo deus est contingenter’, sed sicut deus est contingenter in hoc instanti et tamen in hoc instanti est <104ra> necessario, demonstrato eodem instanti, ita contingenter fuit ista anima in isto instanti et tamen in isto instanti fuit necessario.

Et juxta hoc est advertendum quod de praeterito non valet hujusmodi consequentia ‘necesse est quod haec anima fuit in isto instanti; ergo haec anima fuit necessario in isto instanti’. De futuro tamen bene valet hujusmodi consequentia, quia sequitur ‘necesse est quod hoc erit in isto instanti; igitur hoc necessario erit in isto instanti’. Antecedens tamen illud est falsum, quocumque demonstrato.

Et juxta hoc probatur et conceditur haec propositio quae apparet falsa ‘necesse est quod aliquid erit quod non necessario erit’.

Probatur enim haec propositio sic: necesse est quod aliquid erit quod non necessario erit; ergo necessario erit aliquid quod non necessario erit’. Sed haec consequentia poterit negari ponendo instantiam de praeterito, sicut prius positum est; et ideo aliter probatur sic: necessario erit aliquid contingens ad utrumlibet. Probatur: quia necesse est quod aliquid<sup>178</sup> hujusmodi contingens erit; ergo necessario aliquid hujusmodi contingens erit. Et arguitur tunc sic: necessario erit aliquid contingens hujusmodi, et nullum contingens ad utrumlibet necessario erit; ergo necessario erit aliquid contingens ad utrumlibet quod necessario erit; et ideo conceditur tamquam necessarium quod necessario erit aliquid quod non necessario erit.

Et si arguitur sic: nihil necessario erit quod non necessario erit; ergo non necessario erit aliquid et cetera, dicitur negando consequentiam. Arguitur enim a sensu diviso vero ad sensum compositum falsum; ideo et cetera.

Sed forte adhuc arguitur contra propositionem prius concessam, scilicet quod haec anima fuit necessario, quia non videtur aliqua ratio propter quam debet ista concedi nisi quia necesse est quod haec anima fuit.

Sed haec responsio non sufficit: quia consimiliter contingit arguere quod tu necessario fuisti, quia necesse est quod tu fuisti, et sic posset probari quod necessario fuisti in ecclesia vel cucurristi in bello monte et cetera, quia sic forte necesse est quod sic fecisti; ergo necessario sic fecisti; ideo pro isto dicitur ut prius quod ista non est causa nec ratio quare ista anima necessario fuit. Sed haec est ratio istius, quia ista anima fuit quando non potuit non esse, et in quolibet instanti in quo ista fuit, ista non potuit non esse; ideo et cetera. Sed sic non contingit arguere de esse tui in ecclesia. Fuisti enim in ecclesia quando potuisti non esse in ecclesia, et cucurristi in bellomonte quando potuisti non currere; ideo et cetera.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: ponatur enim quod tu sedeas. Et arguitur sic: in hoc instanti tu sedes, et in eodem instanti tu potes non sedere; ergo simul tu potes sedere et non sedere, vel sic in prioribus terminis: in hoc instanti tu es in ecclesia, et in hoc instanti tu potes non esse in ecclesia; ergo simul tu potes esse et non esse in ecclesia, quod est impossibile.

Consequentia apparet, et antecedens arguitur per responsionem datam. Dicit enim illa responsio quod quodcumque fuisti in ecclesia, potuisti non esse in ecclesia. Praeterea, qua ratione conceditur quod in hoc instanti tu potes stare, quamvis tu non potes stare in hoc instanti, quia in hoc instanti tu es potens stare, videtur concedendum quod in hoc instanti tu

---

<sup>178</sup> aliquid corr.: aliquid V

eris episcopus quamvis tu non sis episcopus in hoc instanti, vel in hoc instanti eris Romae quamvis in hoc instanti sis Oxoniae, quod est impossibile. Et illud solet concedi a quibusdam propter quandam evidentiam: quia sicut in hoc instanti tu potes stare, ita in hoc instanti tu es futurus episcopus; igitur sicut conceditur quod in hoc instanti tu potes stare vel esse episcopus, apparet condendum quod in hoc instanti eris episcopus, <104rb> quod est impossibile. Ideo pro isto dicitur quod non valet ista consequentia ‘in isto instanti tu es futurus episcopus vel in hoc instanti est ita quod tu eris episcopus; ergo in hoc instanti tu eris episcopus’. Antecedens enim est verum et consequens falsum.

Et pro similitudine allegata, dicendum est quod ipsa nullo modo arguit istam consequentiam valere, quia non sequitur tunc ‘Antichristus erit futurus; ergo tunc erit Antichristus’, quia tunc sequitur quod ipse nunc esset, quia ipse nunc est futurus, respectu tamen hujus verbi ‘potest’, bene valet hujusmodi consequentia, scilicet ‘si tunc erit illud potens ad essendum, tunc poterit esse’, et causa est ista, quia hoc verbum potest esse ampliativum, quod non implicat aliud nisi potentiam ad esse, nisi sit ratione alicujus determinabilis sibi adjuncti. Unde aliter significat haec propositio ‘in hoc instanti Antichristus potest esse’ et aliter ista ‘Antichristus potest esse in hoc instanti’. Prima enim significat quod in hoc instanti est possibile Antichristum esse, et alia significat quod possibile est Antichristum esse in hoc instanti. In secunda enim propositione iste terminus ‘instanti’ determinat hoc verbum ‘potest’, et non in prima; et ideo non convertitur prima cum secunda et cetera.

## <Septimum sophisma>

### <Omnis propositio vel ejus contradictoria est vera>

<105vb> Omnis propositio vel ejus contradictoria est vera.

Ponatur quod quaelibet propositio habeat contradictorium, et tunc arguitur quod sophisma sit verum: quia est una universalis cujus quaelibet singularis est vera; ergo sophisma verum.

Similiter arguitur sic: aliqua propositio vel ejus contradictoria est vera, et nulla est propositio quin ipsa vel ejus contradictoria est vera; ergo quaelibet propositio vel ejus contradictoria est vera.

Ideo, si conceditur sophisma, contra: sequitur ‘omnis propositio vel ejus contradictoria est vera; ergo tantum verum est propositio vel ejus contradictoria’, consequens est falsum, quia etiam falsum est propositio vel ejus contradictoria, et nullum falsum est verum; ideo et cetera.

Similiter arguitur sic: omnis propositio vel ejus contradictoria est vera, omnis propositio vel ejus contradictoria est falsa; ergo falsum est verum.

Consequentia arguitur in primo tertiae figurae.

Et consimiliter arguitur sic: si omnis propositio vel ejus contradictoria est vera; ergo eadem ratione omnis propositio vel ejus contradictoria est falsa. Et ex isto arguitur quod omnis propositio vel ejus contradictoria non est vera, et ultra: igitur nulla <106ra> propositio vel ejus contradictoria est vera.

Similiter: non omnis propositio vel ejus contradictoria est vera, quia aliquis propositio vel ejus contradictoria non est vera.

Item: qua ratione conceditur quod omnis propositio vel ejus contradictoria est vera, foret etiam concedendum quod omne impossibile vel necessarium est verum, et quod omnis homo vel asinus est asinus, et quod omne impossibile vel possibile est possibile, et sic de aliis talibus quae videntur falsa.

Ideo respondetur forte ad sophisma distinguendo ipsum secundum compositionem et divisionem negando utrumque ejus sensum. Sensus compositus sophismatis est talis: omnis propositio vel ejus contradictoria est vera, ita quod totus iste terminus ‘propositio vel ejus contradictoria’ sit subjectum, et sic sophisma est una universalis affirmativa de disjuncto subjecto significans quod quaelibet propositio quae est vel ejus contradictoria est vera. Sensus divisus est iste: omnis propositio est vera vel ejus contradictoria est vera, id est vel cujuslibet propositionis contradictorium est verum, et iste sensus etiam negatur tamquam impossibilis cum casu supposito sophismatis.

Sed contra hanc responsionem satis stat argumentum prius positum ad sophisma, et maxime secundum argumentum.

Similiter: ponatur gratia exempli quod duo contradictoria essent omnes propositiones quorum unum sit A, aliud B. Et arguitur tunc sic: haec propositio vel ejus contradictoria est vera, demonstrata A, et haec propositio vel ejus contradictoria est vera, demonstrata B; ergo utraque istarum vel ejus contradictoria est vera, et non est aliqua propositio nisi aliquarum istarum; ergo quaelibet propositio vel ejus contradictoria est vera.

Ideo forte dicitur, sicut est dicendum, quod sensus compositus istius sophismatis non significat sicut prius dicebatur, nec totus iste terminus ‘propositio vel ejus contradictoria’ est subjectum sophismatis, sed solum distribuitur iste terminus ‘propositio’, et sophisma significat praecise quod omnis propositio est propositio quae vel ejus contradictoria est vera; et ideo supposito quod cujuslibet propositionis sit aliquod contradictorium, sophisma est concedendum in sensu composito.

Et ad argumenta contra istam partem respondetur primo negando primum.

Et quando dicitur quod est discursus in primo tertiae figurae, dicitur quod non. Non enim concluditur major extremitas de minori extremitate. Major extremitas enim in tertia figura est totus praedicativus terminus qui reliquitur in majori propositione derepto medio termino cum signo affirmativo vel negativo. Et consimiliter est de minori extremitate; cum ergo in hac propositione majori istius discursus ‘omnis propositio vel ejus contradictoria est vera’ solum supponat iste terminus ‘propositio’; ergo ille solum terminus ‘propositio’ est medius terminus in isto discursu; sequitur igitur quod iste terminus ‘vel ejus contradictoria’ tenebitur a parte praedicati; ergo erit tamquam pars majoris extremitatis. Et consimiliter est in minori propositione; et ideo conclusio sequens ex istis duabus praemissis sic dispositis erit ista propositio, quae vel ejus contradictoria est falsa, est propositio quae vel ejus contradictoria est vera.

Et si arguitur quod in ista conclusione sunt quidam termini extranei qui non sunt in aliqua praemissarum; ergo non est syllogismus, huic dicitur quod non valet consequentia. Hoc enim frequenter accidit ubi utraque praemissarum vel altera fuerit in talibus divisis vel compositis qui non sunt termini simplices, sicut apparebit forte in isto sophismate ‘omnis homo et duos homines sunt tres homines’ vel in isto ‘omne verum et deum esse differunt’; ideo et cetera.

Ad aliam formam, quando arguitur “omnis propositio et cetera; igitur tantum verum est propositio vel ejus contradictoria”, dicitur negando consequentiam.

Et si arguitur ista consequentia per regulam ab universali ad suam exclusivam et cetera, dicitur quod ibi non arguitur ab universali ad suam <106rb>exclusivam: quia haec est exclusiva istius universalis ‘tantum propositio quae vel ejus contradictoria est vera est propositio’, et ista est sequens ex casu sophismatis, sicut hoc sophisma, sed ista non est convertibilis cum priori; ergo et cetera.

Ad aliam formam, quando arguitur quod omnis propositio vel ejus contradictoria est falsa, dicitur concedendo conclusionem, et etiam quod omnis propositio vel ejus contradictoria non est vera.

Sed quando arguitur ex ista quod nulla propositio vel ejus contradictoria est vera, dicitur negando consequentiam, et conceditur etiam quod aliqua propositio vel ejus contradictoria non est vera. Sed negatur consequentia ulterius si arguitur ‘ergo non omnis propositio vel ejus contradictoria est vera’, nec ista particularis est contradictoria sophismatis.

Et si arguitur quod sic, quia ista est particularis negativa de eisdem terminis de quibus vel saltem consimilibus est sophisma universalis affirmativa; ergo ista contradicit sophismati, dicitur quod non valet consequentia, quia ad hoc quod istae duae propositiones quarum una est universalis et alia particularis contradicant, requiritur quod termini istarum omnes diversimode supponant in una propositione earum et in alia, sicut apparet in istis propositionibus ‘omnis homo est animal’, ‘aliquis homo non est animal’. In una enim istarum iste terminus ‘homo’ supponit confuse distributive, et in alia confuse et non distributive. Et eodem modo iste terminus ‘animal’ habet diversam suppositionem in una et in alia particulari, cum in universali supponat confuse tantum, in particulari vero confuse et distributive. Distribuitur enim seu confunditur per istam notam negationis ‘non’. Sed sic non est de istis terminis ‘propositio’ ‘vel ejus contradictoria’ in istis propositionibus ‘omnis propositio vel ejus contradictoria est vera’ ‘aliqua propositio vel ejus contradictoria non est vera’, ut apparet respicere volenti, nec ista particularis contradicit sophismati, sed ista ‘non omnis propositio vel ejus contradictoria est vera’.

Et si arguitur quod sic, quia istae duae convertuntur, scilicet ‘non omnis propositio vel ejus contradictoria est vera’ et ‘aliqua propositio vel ejus contradictoria non est vera’, huic dicitur quod non. Et propter causam nunc tactam: quia isti termini non supponunt omnino consimiliter in utraque illarum, non obstante quod utraque sit particularis.

Ad ultimam formam, quae arguit quod non omnes illae propositiones forent concedendae ‘omne necessarium vel impossibile est verum’, ‘omnis homo vel asinus est asinus’, et sic de

aliis, huic dicitur concedendo omnes tales propositiones sicut et sophisma, supponendo tamen, ut prius, distinctionem earum secundum compositionem et divisionem.

Et tunc respondendum est ad omnes consequentias propositas sicut modo responsum est ad instantias factas contra sophisma.

Sed forte arguitur contra hanc responsionem probando quod aliqua est singularis vera et affirmativa de praesenti, et tamen quaelibet res demonstrata per ejus subjectum est alia quam res significata per ejus praedicatum: quia, demonstrato solo homine, per illam responsionem est haec singularis vera ‘iste homo vel asinus est asinus’, et sic de aliis; sequitur ergo propositum.

Sed pro isto dicitur concedendo conclusionem. In talibus enim terminis compositis non est inconueniens. Notum est enim quod demonstrando solum hominem est haec singularis vera ‘hoc vel asinus est asinus’, et tamen ibi nulla res demonstrata per subjectum est res significata per praedicatum, et tamen est propositio affirmativa; ergo et cetera.

Sed forte arguitur ad principale sic: aliqua duo contradictoria sunt falsa; ergo non omnis propositio vel ejus contradictoria est vera.

Consequentia patet, et assumptum arguitur sic: quia aliqua duo contradictoria sunt vera; ergo aliqua duo contradictoria sunt falsa.

Consequentia patet, et assumptum arguitur: quia signentur ista duo contradictoria ‘deus est deus est’, ‘nullus deus est deus est’, et ponatur quod quaelibet talis propositio ‘deus est’ primarie significet deum esse et quaelibet talis ‘nullus <106va> deus est’ primarie significet nullum deum esse, et quod haec propositio ‘deus est deus est’ significet deum esse talem propositionem ‘deus est’, et quod haec ‘nullus deus est deus est’ significet nullum deum esse talem propositionem ‘deus est’. Tunc, istis positis, patet quod istae duae propositiones ‘deus est deus est’ ‘nullus deus est deus est’ contradicunt, et istae duae sunt verae, quia notum est quod haec est vera ‘nullus deus est deus est’, et haec similiter ‘deus est deus est’, quia ista est duo vera: igitur et cetera. Ista enim est duae propositiones quarum utraque est vera, ut pono; igitur et cetera. Arguitur ergo tunc sic: istae duae propositiones sunt verae, quia una<sup>179</sup> istarum est duo vera, et alia est una propositio vera, et istae duae propositiones sunt duo contradictoria; ergo duo contradictoria sunt simul vera.

Sed forte pro isto dicitur quod nullae duae propositiones possunt esse una propositio: quia, ut dicitur, non est possibile quod eadem copula deserviat simul diversis propositionibus, quod tamen foret verum si duae propositiones forent una propositio.

Sed haec responsio nulla est: quia nulla potest assignari causa ex quo jam talis copula potest deservire uni propositioni, quia sic jam copulans intelligit per illam propositionem quin uni alteri homini aliter componenti vel copulanti per eandem copulam ista eadem etiam tunc deserviret pro una alia propositione in scripto.

Etiam ex hac responsione sequitur quod non sit possibile quod pars propositionis categoricae sit una propositio, et tunc sequitur quod, posito quod non foret aliqua talis propositio ‘homo est asinus’ nisi tantum una, quae praecise significet quod homo foret asinus, et quod aliquis componeret eam cum isto termino ‘est falsum’ ita quod resultaret talis propositio ‘homo est asinus’ est falsum’, tunc licet ista propositio ‘homo est asinus’ significaret sibi quod homo foret asinus, tamen ista propositio foret sibi falsa, quia per responsionem datam tunc non foret aliqua talis propositio ‘homo est asinus’, cujus oppositum sequitur manifeste ex casu supposito.

Ideo forte conceditur quod pars propositionis potest esse propositio, et quod duae propositiones in scripto sunt una propositio scripta. Sed cum hoc dicitur forte ulterius quod nulla propositio est vera nisi illa quae praecise significat sicut est, et ita non sequitur, ut

---

<sup>179</sup> una *corr.*: vera V

dicitur, quod duo contradictoria sint vera, quia, quibuscumque demonstratis, alterum istorum est verum et alterum falsum, quia alterum istorum significat sicut est et alterum aliter quam sicut est.

Sed contra istam responsionem arguitur sic: quia haec propositio ‘deus est deus est’ est vera, et ipsa significat aliter quam est. Satis enim patet quod ista significat aliter quam est, et tamen ista est vera, sicut prius argutum est, quia est duo vera. Nam est duae propositiones quarum utraque est vera: quia utraque istarum praecise significat sicut est, per casum. Et arguitur tunc sic: utraque istarum est vera; ergo istae duae sunt verae.

Consequentia patet <et> arguitur tunc sic: istae duae sunt verae, et istae duae sunt haec propositio proposita; ergo haec propositio proposita est istae duae propositiones verae, et si sic; ergo ipsa est duo vera; ergo est vera.

Similiter: si quaelibet propositio vera significat praecise sicut est, sequitur quod propositio falsa significaret praecise sicut est, quod est impossibile.

Et consequentia arguitur sic: quia signetur una propositio vera quae sit duae propositiones quarum una est vera et alia falsa, sicut ista prius capta, haec scilicet ‘nullus deus est deus est’. Et arguitur sic: haec propositio vera significat praecise sicut est, et haec propositio significat praecise sicut significant suae partes, scilicet ‘nullus deus est’ ‘deus est’, quia haec est illae duae; ergo istae duae significant praecise sicut est, et si sic; ergo utraque istarum significat praecise sicut est, et una istarum est propositio falsa et impossibilis; ergo propositio falsa et impossibilis significat praecise sicut est, quod erat probandum.

Ideo forte pro isto negatur talis consequentia ‘ista propositio significat praecise sicut est, et istae duae sunt ista vera; ergo istae duae significant praecise sicut est’.

Sed contra istam responsionem arguitur sic: ponatur quod sint duae propositiones negativae <106vb> magnae quae sint quattuor tales simplices significantes ut prius. Et arguitur tunc sic: istae duae magnae propositiones negativae significant praecise sicut est, et istae duae sunt istae quattuor; ergo illae quattuor propositiones significant praecise sicut est.

Consequentia probatur: quia tunc istae quattuor propositiones sunt duae propositiones significantes praecise sicut est; ergo istae quattuor propositiones sunt propositiones significantes praecise sicut est. Quod forte conceditur, sicut communiter conceditur, sed negatur consequentia ulterius ‘igitur istae quattuor propositiones significant praecise sicut est’.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: si istae quattuor propositiones sunt propositiones significantes praecise sicut est, sed istae quattuor non sunt aliquae aliae propositiones quam istae quattuor; ergo istae quattuor propositiones sunt quattuor propositiones significantes praecise sicut est, et si sic; ergo istae quattuor significant praecise sicut est, sed duae istarum sunt falsae, sicut patet per casum; ergo propositiones falsae significant praecise sicut est, quod erat probandum.

Ideo pro istis dicitur in principio quod satis probabiliter potest concedi ista propositio, scilicet contradictoria quod sunt vera, et etiam quod contradictoria sunt falsa, et duo contradictoria sibi invicem contradicentia, sed tamen tunc non sequitur ‘si duo contradictoria sunt vera; ergo duo contradictoria sunt falsa’. Posito enim quod ista duo contradictoria proposita forent omnes propositiones sic significando, haec<sup>180</sup> scilicet ‘deus est deus est’, ‘nullus deus est deus est’, tunc duo contradictoria sibi invicem contradicentia forent vera, et nulla duo contradictoria forent falsa.

Quod tamen aliqua duo possent esse falsa simul posset consimiliter probari sicut probatur quod aliqua sunt vera: quia signentur ista duo ‘aliquis homo est chimaera est’, ‘nullus homo est chimaera est’. Notum est enim quod ista affirmativa est falsa et ista negativa etiam, quia est duo falsa; igitur et cetera.

---

<sup>180</sup> haec corr.: hoc V

Et si quaeritur quare non sequitur ‘si duo contradictoria sunt vera; ergo duo contradictoria sunt falsa’, cum tamen bene sequitur ‘si contradictori[or]um hujus est verum; ergo hoc esse falsum’, huic dicitur quod pro tanto non sequitur, quia quamvis duo contradictoria sint vera, ista tamen non sunt duo vera. Unde non est possibile quod duo contradictoria sint duo vera, quia tunc esset possibile quod duo contradictoria essent duo vera quorum utrumque esset verum, quod est impossibile.

Et juxta istum intellectum vult Philosophus quod non est possibile quod duo contradictoria sint vera vel falsa, id est quod duo contradictoria sint duo vera vel duo falsa. Et ex isto satis apparet quod non vadit contra sophisma quamvis ponatur quod duo talia contradictoria sint vera vel falsa. Ista enim bene stant simul quod omnes propositiones sunt verae, et tamen aliqua est propositio falsa, et ista etiam <quod> omnes propositiones sunt falsae, et <tamen> aliqua est propositio vera, nec sequitur ex istis quod verum est falsum nec quod propositio vera est propositio falsa.

Et quod primae duae stant simul patet, posito quod istae duae ‘deus est’ ‘deus est’ forent omnes propositiones, et istae duae verae forent una propositio falsa, ut prius.

Et quod aliae duae possent simul stare patet similiter, posito quod istae duae propositiones ‘nullus rex est’ ‘rex sedet’ forent omnes propositiones falsae, et quod istae duae falsae forent haec vera ‘nullus rex est rex sedet’. Et ideo conceditur ista posse simul stare, et per hoc satis patet quod non valet ista consequentia ‘duo contradictoria sunt falsa; ergo non omnis propositio vel ejus contradictoria est vera’, sicut prius dicebatur.

Sed forte arguitur sic contra sophisma: duo contradictoria sunt duo falsa; ergo non omnis propositio vel ejus contradictoria est vera.

Consequentia patet, et assumptum arguitur: quia possibile est quod duo contradictoria sint duo falsa; ergo et cetera.

Assumptum arguitur: quia signentur haec duo contradictoria ‘rex sedet’, ‘nullus rex sedet’ sic significando. Et arguitur tunc sic: possibile est quod contradictorium hujus sit falsum, et hoc est falsum, <107ra> demonstrata continue hac propositione ‘rex sedet’. Ponitur gratia exempli quod ista sit falsa, et arguitur tunc sic: ista copulativa est vera, et ex ista copulativa sequitur quod possibile est quod duo contradictoria sint duo falsa; igitur et cetera.

Antecedens arguitur: quia ex ista copulativa sequitur quod possibile est quod contradictorium hujus ‘rex sedet’ falsum sit, demonstrata ista ‘rex sedet’, et quod haec propositio ‘rex sedet’ sit falsa. Et arguitur tunc sic: hoc est falsum, et contradictorium hujus est falsum; ergo duo contradictoria sunt duo falsa.

Antecedens hujus consequentiae sequitur esse possibile ex prima copulativa; ergo ex eadem sequitur consequens esse possibile et, sicut prius dictum est, ista copulativa est vera; ergo et cetera.

Et quod ex ista copulativa sequatur antecedens esse possibile probatur sic: quia ista copulativa praecise significat quod possibile est quod contradictorium hujus sit falsum, et quod hoc sit falsum; igitur et cetera.

Assumptum arguitur: quia ista copulativa significat praecise sicut significant istae duae propositiones categoricae quae copulantur ad invicem, sicut quaelibet copulativa de communi modo loquendi significat sicut suae partes, sed istae propositiones categoricae praecise significant quod possibile est quod contradictorium hujus sit falsum, et quod hoc sit falsum; ergo et cetera.

Assumptum arguitur: quia ista categorica ‘possibile est quod contradictorium hujus sit falsum’ praecise significat quod possibile est quod contradictorium hujus sit falsum, et alia praecise significat quod hoc est falsum, et istae duae non sunt aliqua tertia propositio nec tamquam pars tertiae propositionis; ergo istae duae praecise significant quod possibile est quod contradictorium hujus sit falsum et quod hoc sit falsum, quod fuit probandum.

Sed pro isto dicitur quod non valet istud argumentum prius factum ‘haec propositio ‘possibile est quod contradictorium hujus est falsum’ praecise significat quod possibile est quod contradictorium hujus sit falsum et alia praecise significat quod hoc est falsum; ergo istae duae praecise significant quod possibile est quod contradictorium hujus sit falsum et quod hoc est falsum’, sed sequitur quod istae duae significant quod hoc est falsum et quod possibile est quod contradictorium hujus est falsum, et hoc est verum et sic significat ista copulativa.

Et per hoc satis patet responsio ad argumentum: quia est negandum quod ista copulativa significat sicut assumitur in argumento.

Et ad probationem, debet responderi negando consequentiam istam negatam.

Et si arguitur quod in aliis propositionibus bene valet hujusmodi consequentia: quoniam sequitur si ista propositio ‘rex sedet’ significat praecise quod rex sedet, et ista ‘nullus rex sedet’ significat praecise quod nullus rex sedet, et sic de aliis quibuscumque talibus propositionibus, consimiliter valebit consequentia negata. Sed huic dicitur negando consequentiam: quia in propositionibus prioribus apponitur unus terminus ratione cujus diversimode praepositi vel postpositi mutatur tota significatio consequentis; igitur et cetera. Aliter enim significat haec propositio ‘possibile est quod contradictorium hujus sit falsum et quod hoc est falsum’ quam ista ‘hoc est falsum et possibile est quod contradictorium hujus est falsum’. Prima enim est impossibilis et secunda vera; et ideo non valet consequentia a prima ad secundam, quare et cetera.

Sed forte arguitur adhuc in casu communi contra primam propositionem negatam, scilicet quod duo contradictoria sunt duo falsa: quia aliqua sunt duo contradictoria quae immediate post hoc erunt duo falsa, et quaecumque duo erunt immediate post hoc erunt simul; ergo si duo contradictoria immediate post hoc erunt duo falsa, ipsa simul erunt duo falsa, et si sic; ergo possibile est quod ista sint duo falsa. Ponatur enim quod aliquod sit continuum, puta linea aliqua pedalis cujus una pars proportionalis continue sit A et alia B, ita quod prima pars proportionalis sit A et secunda B et tertia A et quarta B, et sic deinceps, et incipiat moveri E punctus <107rb> super istam lineam ipsam pertranseundo, et hoc ab isto extremo ubi partes proportionales sunt minores. Et arguitur sic: immediate post hoc E tanget punctum medium A et quodcumque erit ita quod E sic tangit A, erit haec falsa sic significando ‘E tangit B’. Ponatur quod ista propositio tunc sic significet, et sic immediate post hoc erit haec falsa ‘E tangit B’, et immediate post hoc erit haec falsa ‘E non tangit B’, quia immediate post <hoc> E tangit B; igitur et cetera.

Assumptum utrobique arguitur, scilicet immediate post hoc E tangit B et immediate post hoc tangit A.

Quod arguitur: quia immediate et continue post hoc E tangit A vel B, sicut notum est sequitur ex casu, sed non prius tangit A quam B, nec e contra; ergo immediate post hoc tangit A et B.

Assumptum arguitur: inter quodcumque A et B sunt infinita A et infinita B; ergo nullum erit primum A quod E punctus tanget nec aliquid erit primum B quod tanget; igitur et cetera.

Similiter: immediate post hoc E punctus pertransibit aliquam partem proportionalem istius lineae, sed antequam quamlibet partem proportionalem ipsius lineae pertranseundae pertranseundam pertransibit infinita A et infinita B; ideo et cetera.

Ideo forte conceditur, sicut est concedendum tamquam sequens, quod immediate post hoc E tangit A et etiam B, et quod immediate post hoc erunt haec duo contradictoria falsa, scilicet ‘E tangit A’ et ‘E non tangit A’, et similiter immediate post hoc erunt ista vera.

Et ad argumentum ulterius, quando arguitur quod ista erunt simul falsa, dicitur negando consequentiam.

Et quando arguitur quod si immediate post hoc erunt aliqua duo vera, ista simul erunt vera; ergo si immediate post hoc erunt vera, illa duo simul erunt vera, dicitur negando consequentiam. Et causa est quia quaecumque duo quae erunt ista erunt in eodem instanti vel



in diversis instantibus, et non est possibile quod aliqua duo infinities incipient esse vel infinities desinent esse. Sed est satis possibile, et verum in casu supposito, quod aliqua duo contradictoria infinities incipient esse vera et infinities desinent esse vera; et ideo non valet consequentia facta.

Sed forte arguitur incidentaliter contra propositionem concessam, scilicet quod si immediate post hoc erunt aliqua duo quod ipsa simul erunt, quia immediate post hoc erunt infinitae partes proportionales alicujus temporis incipientis ab hoc instanti quae non simul erunt; igitur et cetera.

Antecedens arguitur: quia signetur una hora incipiens a praesenti instanti. Et arguitur sic: immediate post hoc erunt infinitae partes proportionales hujus horae, quia, sicut notum est ante, quodlibet instans futurum erunt infinitae partes proportionales istius horae, et nullae tales partes proportionales istius horae erunt simul; igitur et cetera.

Sed pro isto dicitur, sicut prius dicebatur in alio sophismate, quod si tempus sit aliquid divisibile, tunc partes istius simul sunt sicut alterius continui.

Et ideo ad formam argumenti facti, dicitur negando assumptum, scilicet quod nullae tales partes proportionales simul erunt. Nec est concedendum, nisi propter modum loquendi, quod aliquod tempus incipit esse, sed de virtute sermonis creditur negandum esse quod tempus incipit esse seu potest incipere esse, quia tempus non est aliud quam caelum vel motus caeli, et sicut nec motus caeli nec caelum possunt incipere esse, sic nec potest tempus, sed illud est extra sophisma. Ideo dicitur quod in casu supposito non sequitur quod ista contradictoria simul erunt falsa, sicut nec simul vera.

Sed forte arguitur quod sic: quia immediate post hoc erit utraque singularis istius universalis <107va> vera 'utrumque istorum est falsum'; ergo immediate post hoc erit ista universalis vera sic significando, et si sic; ergo immediate post hoc erit ita quod utrumque istorum est falsum, quod erat probandum. Sed hic dicitur quod non valet ista consequentia 'immediate post hoc erit utraque singularis istius universalis vera; igitur immediate post hoc erit ista universalis vera'.

Et si arguitur quod tunc sequitur quod aliqua universalis erit falsa quando quaelibet singularis ejus erit vera, hic dicitur quod hoc satis est possibile, et in isto casu bene sequitur quod haec universalis erit falsa in tempore in quo utraque et quaelibet singularis istius erit vera, in nullo tamen instanti erit ista falsa in quo utraque singularis istius erit vera, quia in nullo instanti erit utraque singularis istius vera.

Et si arguitur adhuc quod ista universalis erit vera, quia si utraque singularis ipsius esset vera in praesenti instanti, ista tunc esset vera; ergo si immediate post instans praesens erit utraque singularis istius vera, immediate post instans praesens erit ista universalis vera, [sed] hic dicitur quod non valet consequentia. Et juxta hoc conceditur quod aliqua est consequentia bona et formalis cujus utraque praemissarum immediate post hoc erit vera et istius consequens continue erit falsum vel impossibile, quia haec consequentia est hujusmodi 'hoc istorum est falsum, et hoc istorum <est> falsum; ergo utrumque istorum falsum est'. Utraque enim istarum praemissarum immediate post hoc erit vera, sicut prius probatum est, et consequens tamen numquam erit verum sic significando.

Et si arguitur <quod> ista consequentia est bona, et antecedens istius immediate post hoc erit verum, et immediate post hoc erit consequens illius; ergo consequens istius immediate post hoc erit verum, huic dicitur quod antecedens istius numquam erit verum. Quamvis enim utraque pars copulativae antecedentis erit vera, ista tamen tota copulativa numquam erit vera.

Et si arguitur quod sic, quia si istae partes erunt verae; ergo ita erit sicut istae partes significabunt; ergo cum istae partes significant et significabunt sicut ipsa copulativa; ergo ita erit sicut copulativa significabit, et si sic; ergo ista copulativa erit vera sicut et istae partes, huic dicitur quod non valet ista consequentia 'istae duae partes erunt verae sic significando; ergo ita erit sicut istae significant seu significabunt'.

Et si arguitur quod sic, quia erit ita sicut ista significabit, et ita erit sicut ista significabit; ergo ita erit sicut istae significabunt, huic dicitur negando consequentiam. Et causa est quia non erit ita sicut istae duae significabunt nisi istae significabunt sicut erit in aliquo instanti, sed istae nec significabant nec significabunt sicut erit in aliquo instanti; ergo et cetera.

Assumptum satis patet: quia in nullo instanti erit ita quod hoc est falsum et quod hoc est falsum, demonstratis illis duobus contradictoriis prius datis; igitur et cetera.

Et si arguitur ut prius quod ita erit sicut istae duae significabunt quod istae duae erunt verae — nam si modo istae duae forent verae, foret ita sicut istae duae significarent —; ergo consimiliter de futuro, si illae duae erunt verae, erit ita sicut illae duae significabunt.

Praeterea: si istae duae erunt verae, et numquam erit ita sicut istae duae significabunt; ergo erunt verae quando significabunt aliter quam erit.

Pro istis respondetur dicendo pro primo quod huiusmodi modus arguendi non universaliter tenet, sed frequentissime non valet, sicut prius quasi immediate in isto eodem sophismati satis apparuit, et etiam in aliis, ubi sic arguitur ‘si Socrates esset nunc tantus sicut est Plato et e contra, Socrates et Plato essent nunc aequales; igitur si Socrates erit tantus sicut erit Plato et e contra, Socrates et Plato erunt aequales’, et sic de talibus multis quarum nulla est concedenda.

Ad aliam formam, dicitur concedendo conclusionem, scilicet quod istae <107vb> propositiones erunt verae quando, id est in tempore in quo, non erit ita sicut istae significabunt; immo illae significabunt continue sicut non potest esse.

Et si arguitur quod hoc non est possibile de aliqua una propositione, videlicet quod ipsa erit vera et quod numquam erit ita sicut ista significat vel significabit; ergo eadem ratione etiam illud erit impossibile de duabus propositionibus, scilicet quod istae erunt verae, numquam tamen significando sicut erit, huic dicitur quod non valet ista consequentia, et tamen quia si aliqua una propositio erit vera, ipsa erit propositio vera in aliquo instanti, quod tamen minime requiritur de duabus propositionibus, quia duae erunt verae licet in nullo instanti, sed in duobus diversis instantibus, sicut ista duo contradictoria proposita erunt vera et in nullo instanti erunt vera, sed in diversis instantibus. Et ideo sicut conceditur <quod> duo contradictoria erunt vera et numquam erit ita sicut ista significant seu significabunt, ita infinitae aliae propositiones contingentes erunt verae et numquam erit ita sicut istae significabunt nec umquam erit ita sicut aliquae duae illarum significabunt, sicut sunt istae duae ‘tu curris’, ‘tu disputas’, posito quod numquam simul curres et disputabis, et sic consimiliter de quibuscumque aliis.

## <Octavum sophisma>

### <Isti ferunt lapidem>

<108ra> Isti ferunt lapidem.

Ponatur quod Socrates et Plato ferant unum lapidem et quod nec ipsi nec aliquis ipsorum ferat aliquid nisi illum lapidem vel partem istius, et sit iste lapis quem ferunt A. Tunc arguitur sic: isti ferunt A lapidem; ergo isti ferunt <108rb> lapidem.

Et arguitur quod non: quia neuter istorum fert aliquid.

Quod arguitur sic: quia nullus istorum fert A nec aliquam partem A, nec aliquis istorum fert aliquid aliud quam A vel partem A, ut supponitur; ergo neuter illorum fert aliquid.

Consequentia patet, et assumptum arguitur: quia neuter ipsorum fert A, quia sit A gratia exempli ita gravis quod nullus istorum sufficiat ferre. Tunc arguitur sic: nullus istorum sufficit ferre A; ergo nullus istorum fert A nec aliquis istorum fert aliquam partem A.

Quod arguitur sic: quia qua ratione aliquis istorum fert unam medietatem, ipse fert aliam medietatem. Ponatur enim lapis in aequali distantia ab utroque istorum.

Similiter: nulla medietas nec aliqua pars illius lapidis est maximum quod aliquis illorum fert, quia quaecumque pars dicatur ferri ab aliquo eorum adhuc major pars fertur ab aliquo istorum, si ipsa feratur ab aliquo, quia, quaecumque detur, ista non praecise fertur ab uno eorum, quia, quaecumque modica parte data, ista pars prout inexistit toti descenderet nisi alius juvaret ad supportandum eam; ergo qua ratione dicitur quod Socrates sufficit aliquam modicam partem ferre, foret dicendum quod Socrates fert totum A, quia sicut ista pars descenderet nunc nisi Socrates juvaret ad supportandum illam vel omnino ferret istam, ita A nunc descenderet nisi Socrates juvaret ad supportandum. Et sic A descenderet nisi Socrates juvaret ad supportandum, ita illa pars descenderet nisi Plato juvaret ad supportandum istam; ergo qua ratione conceditur quod Socrates fert istam partem quacumque data, foret etiam concedendum quod Socrates fert totum A, consequens falsum, sicut prius est argutum, et si sic; ergo Socrates non fert aliquam partem A; ergo nec Plato; sequitur igitur quod nullus istorum fert aliquid. Et arguitur tunc sic: nullus istorum fert aliquid; ergo nullus istorum fert aliqua, et ultra; igitur nullus istorum fert.

Sed forte pro isto dicitur negando hanc ultimam consequentiam et concedendo hanc conclusionem, quia uterque istorum fert, et tamen nullus istorum fert aliquid vel aliqua, et quod Socrates fert et tamen nihil fert nec aliqua fert. Sequitur enim quod si iste nihil fert, etiam non fert aliqua, quia qui fert multa fert unum. Et persuadetur haec responsio per argumenta prius facta.

Et confirmatur per consimilem responsionem prius positam in alio sophismate ubi conceditur quod aliquid agit et illud tamen nihil agit, et sic dicitur in proposito quod aliquis fert qui nihil fert.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: si nullus istorum fert aliquid; ergo isti duo non ferunt aliquid.

Probatur consequentia: quia si nullus istorum fert aliquid; ergo isti duo non sunt ferentes aliquid.

Consequentia ista arguitur: quia si non valet, stet ergo oppositum consequentis cum antecedente. Et arguitur tunc sic: isti duo sunt ferentes aliquid; ergo aliquis istorum est ferens aliquid. Et si negatur haec consequentia, tunc sequitur haec conclusio, scilicet quod multi sunt ferentes aliquid, et tamen nullus istorum est ferens aliquid, et eadem ratione videtur esse concedendum quod multi sunt ferentes aliquid, et nullus illorum est ferens aliquid, quod est impossibile. Ponitur enim in casu primo quod Socrates sit in magna proportionem fortior Platone, ut in centuplo. Tunc arguitur sic: Socrates et Plato fert, et nullus istorum fert aliquid;

ergo Socrates non fert aliquid plus quam Plato, nec minus; ergo aequaliter praecise fert Socrates sicut Plato. Ponatur tunc loco Socrates unus alius aequalis Platoni qui ferat consimiliter sicut fert Plato, et notum est quod ceteris paribus A lapis descendet, quia per casum Socrates non sufficiebat prius ferre A. Et tunc fuit fortior multo quam modo sunt illi duo nunc ferentes; ergo A descendet.

Et arguitur quod non: quia isti duo nunc ferunt aequaliter sicut prius ferebant alii duo.

Probo: nunc Plato fert aequaliter sicut prius, ut pono, et **sotius(?)** Plato nunc fert aequaliter sicut Plato, quia est ita fortis ceteris paribus, sed Plato <108va> prius ferebat aequaliter omnino sicut Socrates; ergo iste qui modo venit fert aequaliter sicut prius ferebat Socrates; igitur A non descendet magis quam prius.

Praeterea: sequitur quod difficilius est Socrati sic ferre nihil ferendo quam ferre unum quartarium frumenti vel mille libras, quod videtur absurdum. Et posito etiam quod Socrates ferat solus unum parvum lapidem vel unam pixam cum hoc quod sic juvaret Platonem ferre A lapidem et quod unus parvus puer ferret unam fabam, sequitur tunc quod iste puer ferret plusquam Socrates et quam Socrates tunc sufficeret ferre, et Socrates tamen est fortissimus homo et puer debilis duorum dierum. Ponitur enim quod Socrates non sufficeret ferre unam fabam cum illis circumstantiis.

Praeterea: sequitur in primo casu quod Socrates fert A.

Probat: Socrates solummodo in portando non aliud ab A vel parte ejus facit et resistit ne A descendat; ergo Socrates fert A.

Ideo dicitur in principio concedendo sophisma.

Et ad argumentum in oppositum, quando<sup>181</sup> arguitur quod nullus illorum fert aliquid, dicitur quod aliquid potest ferre aliud dupliciter, vel per se et totaliter, id est absque juvamento alterius a medio aeris in quo est vel a parte vel partibus illius portantis, et sic dicitur quod equus fert hominem equitantem, vel aliquid potest ferre aliud per accidens, id est cum juvamento sensibili alterius supportantis, et sic dicitur quod homo plus potest ferre in aqua quam in aere. Et ideo dicitur quod secundo modo loquendo de ferre est ista propositio neganda 'nullus istorum fert aliquid'; immo est concedendum quod uterque illorum illo modo, id est partialiter, fert totum A, et primo modo loquendo, dicitur quod nullus istorum fert aliquid, sed iste modus loquendi non debet ibidem sustineri, quia illa videtur negare quod aliquis istorum fert aliquid aliquo modo, quod est falsum; nec debet etiam similiter concedi quod aliquis istorum fert aliquid nisi supposita distinctione illa. Et tunc ad secundum modum loquendi, concedendum est quod uterque istorum fert totum A, et uterque istorum sufficit ferre totum A.

Et si quaeritur an aliquis istorum ferat aliquid simpliciter et absque alia distinctione, dicitur quod iste terminus 'ferre aliquid' est duplex sive aequivocus; et ideo quotiens illud ponitur debet continue distingui donec limitetur ad certum sensum. Potius tamen est concedendum quod uterque istorum fert A quam quod nullus istorum fert aliquid si respondens voluerit respondere sine distinctione, et hoc propter hanc causam, quia sequitur 'Socrates fert A partialiter; ergo Socrates fert A' et non sequitur 'Socrates non fert A per se solus; ergo Socrates non fert A'.

Sed tunc ex isto forte arguitur deducendo plura quae videntur fore inconvenientia, scilicet quod Socrates fert aliquid quod ipse non sufficit ferre, vel quod Socrates sufficit ferre quidquid omnes homines sufficiunt ferre, et quod ipse sufficit trahere navem et forte trahit quam non sufficiunt mille homines movere. Et posito quod ipse emisset unum equum pro decem libris

---

<sup>181</sup> quando corr.: quod V

quod ipse dedit pro quolibet pilo illius equi decem libras, et sic de talibus infinitis quae apparent impossibilia.

Ideo pro isto dicitur quod quando ponitur aliqua talis propositio, quod ipsa esset distinguenda propter aequivocationem illius verbi ‘facere’, ‘trahere’ vel ‘movere’, et tunc facta illa distinctione, concedenda est illa propositio pro isto sensu qui est verus si habuerit sensum unum affirmativum verum. Unde Socrates partialiter tantum sufficit portare sicut fortissimus homo mundi, et sic conceditur quod una musca tantum sufficit portare sicut unus equus sive movere, quia partialiter tantum sufficit facere, et sic de singulis.

Et si arguitur quod non, quia musca non est ita fortis sicut homo vel equus; igitur non tantum sufficit movere vel portare, huic dicitur, ut prius, quod movere aliquid est dupliciter, vel partialiter vel per se. Unde bene sequitur quod musca non sufficit tantum portare <108vb> per se sicut asinus vel homo, nec movere tantum per se, et tamen musca sufficit movere partialiter tantum sicut homo vel equus.

Et si quaeratur, ut prius, utrum musca sufficit tantum movere sicut homo vel equus, dicitur, ut prius, quod ista est omnino distinguenda, nec aliqua pars distinctionis debet simpliciter concedi vel negari antequam distinctio fuerit facta vel supposita, sed habita illa distinctione potest concedi illa propositio ‘musca potest movere vel portare tantum sicut fortissimus homo mundi sive equus’ pro isto sensu dato, et consimiliter est respondendum ad consimilia. Verumtamen ista conclusio proposita prius non sequitur ex ista responsione, scilicet posito quod unus emisset unum equum pro duabus libris quod tunc dedisset duas libras pro quolibet pilo ejus, quia ille non emit aliquem pilum illius equi, nec aliquam partem illius equi, sed solum totum equum, et ratio <est> quia actus qui est emptio non fertur in aliquam partem illius equi sed solummodo in totum equum, sicut quando aliquis pascit equum vel leonem sive aliud animal, non pascit aliquam partem illius, sed solummodo illud animal et non partem illius nec pilos illius, sicut presbiter quando baptizat puerum non baptizat caput seu aliquam partem illius, sed totum hominem. Vocatur enim totus homo Socrates vel Plato licet nulla ejus pars vocetur Socrates, et sic quoddam modo est in proposito, scilicet quod homo emit totum equum et nullam ejus partem.

Sed forte contra hanc responsionem arguitur sic: si in emptione equi non emerentur aliqua pars, consimiliter sequeretur quod in emptione unius panni integri non emeretur aliqua pars panni, et stat quod duae ulnae panni emerentur et non emeretur aliqua ulna, sicut laici dicunt quod aliquis habet duos denarios vel duas libras denariorum, et non habet denarium aliquem nec unam libram, quod est impossibile.

Praeterea: quaelibet pars equi jam est tua, et prius non fuit aliqua tua; ergo emisti quamlibet partem illius, vel aliunde quam ex emptione habes quamlibet ejus partem postquam non habuisti aliquam ejus partem.

Pro isto dicitur primo ad primum, quando dicitur quod similiter sequitur quod non emereres aliquam partem panni in emendo multos pannos integros, huic dicitur quod non sequitur, quia pannus est divisibilis in multas partes, ut puta in multas ulnas et in multas alias mensuras quarum quaelibet est ejusdem nominis et denominationis vel diffinitionis sicut totus pannus, sic tamen non est de equo.

Sed quando<sup>182</sup> arguitur quod in emptione unius panni integri tantum dares pro quolibet pilo et pro qualibet ulna sicut pro toto panno, huic dicitur quod non sequitur quod pro quolibet pilo illius panni dares tantum sicut pro toto panno, nec etiam sequitur quod pro qualibet parte illius panni quae pars est pannus darem tantum sicut pro toto panno, quia non quaelibet talis pars est vendibilis prout est sub illo nomine vel sub illa diffinitione, conceditur tamen quod tantum daretur pro qualibet ulna sicut pro toto panno.

---

<sup>182</sup> quando corr.: tamen V

Et si arguitur ex isto quod carius emisti illam ulnam quam totum pannum, et quod emisti illam ulnam valde care, quia plus dedisti de ista quam illa valuit, posito etiam quod unus alius homo emisset unam aliam ulnam per se unius consimilis panni pro tribus solidis, sequitur, ut apparet, quod ipse emisset illam ulnam unam minori precio quam tu qui emisti unam consimilis panni pro quinque marchis, et ista manifeste apparent sequi, quae videntur absurda valde.

Pro isto respondetur primo ad primum, et dicitur quod non sequitur quod carius emisti illam ulnam quam totum pannum, nec sequitur quod ita care emitur ista ulna nec aliqua pars illius sicut totus pannus, quia nulla parte illius panni dabatur per se tantum sicut pro toto panno; et ideo non ita care emebatur aliqua pars illius panni sicut totus pannus.

Et per hoc patet responsio ad ultimam formam factam, scilicet quod non sequitur quod carius emebatur ista ulna pro qua dabantur quinque marchae quam ista pro qua dabantur solum tres solidi. Et ratio est quia istae quinque marchae non dabantur <109ra> pro illa ulna per se, sed partialiter.

Ad aliam formam, quando arguitur quod plus dabatur quam illa valuit, huic dicitur distinguendo de isto termino non 'valere', sicut distinguebatur de aliis terminis, quia valere tantum vel tantum est dupliciter, videlicet per se et partialiter cum alio. Et ideo accipiendo istum terminum 'valere' pro valere cum alio, est negandum quod plus dabatur pro ista ulna quam ipsa valuit, quia cum aliis valet illa ulna marchas quinque, et forte istum modum loquendi habent mercatores, et etiam mercenarii in iuramentis emendo vel vendendo.

Et si arguitur ut prius quod ex responsione sequitur quod haec ulna valet tantum sicut totus pannus qui est in mundo et sicut aliquod vendibile in toto mundo, huic omnino respondetur sicut ad aliam consimilem respondebatur, ad illam scilicet musca sufficit tantum movere sicut equus fortissimus; ideo elige meliorem responsionem tibi.

Ad aliam formam, quando arguitur quod emisti quamlibet partem equi empti a te, quia nunc quaelibet pars illius equi est tua postquam nulla pars fuit tua, et non aliter habuisti aliquam partem quam ex emptione; ergo emisti quamlibet partem illius equi, negetur consequentia. Est enim quaelibet pars illius equi tua, non quia emisti illam partem, sed quia emisti totum equum; unde ex emptione totius equi fit quaelibet pars equi tua et non ex partis emptione.

Sed aliquis forte diceret quod nulla pars illius equi est tua, sed quaelibet pars illius est pars tui equi: nam ex secunda responsione sequeretur quod tu haberes duo capita et sex pedes, vel forte mille tibias et tot capita et quod os tuum foret tantum quantum est os equi tui, et quod nasus tuus lamberet culum canis tui.

Quod patet, posito quod canis tuus lamberet anum proprium cum naso suo, et sic de talibus multis quae apparent et sunt valde inconvenientia.

Ideo ad evitanda omnia ista forte respondetur concedendo quod quaelibet pars illius equi est tua, sicut est concedendum, et negando quod nulla pars equi tui est tua postquam non fuit tua.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: si oportet ponere hanc responsionem ad evitandum omnia illa inconvenientia proposita, sequeretur eadem ratione quod foret negandum quod tu haberes equum.

Probat: ponendo quod tu habes unum equum qui sit pater alterius equi, et arguitur quod ille equus non erit tuus: quia iste pater non erit tuus, et iste pater est iste equus; ergo iste equus non est tuus.

Consequentia patet per responsionem, et major <probat>: quia ponit quod nulla pars equi tui est tua. Et minor patet per casum; ergo et cetera.

Similiter: ex ista responsione sequitur quod nullus posset tibi dare partem alicujus animalis licet tibi daret totum animal, quod non est verum; ideo dicitur quod quaelibet pars equi tui est tua, et nulla pars equi tui est tua. Unde nasus canis tui est tuus, sed non est nasus tuus, sicut nec os equi tui est tuum os nec os tuum, et tamen est tuum sicut iste pater est tuus, sed non est pater tuus, demonstrato uno equo qui est pater respectu alterius equi, ut prius erat suppositum.

Et si arguitur quod ista repugnant, videlicet quod nasus canis tui est tuus et non est nasus tuus, quia si nasus canis tui est tuus; ergo est nasus tuus vel non nasus tuus, sed est non nasus tuus, et est; ergo est nasus tuus.

Consequentia patet, et assumptum arguitur: quia si nasus canis foret non nasus tuus, cum iste sit tuus, foret tuus non nasus; ergo nasus canis est non nasus tuus, quod est impossibile.

Similiter: iste nasus est tuus, et non est aliud quam nasus qui est tuus; ergo est nasus tuus.

Ad haec respondetur primo ad primum, quando arguitur quod nasus canis est non nasus tuus, huic dicitur concedendo istam propositionem licet tamen alibi negatur consimilis propositio et consimilis modus arguendi, ut sic arguendo: hoc non est lignum album, et hoc est; ergo hoc est non lignum album, demonstrato ligno nigro. Supponitur enim ibidem quod totus iste terminus 'lignum album' non teneatur privative, cujus oppositum sustinetur in propositione hic proposita, illa scilicet 'nasus canis tui <109rb> est non nasus tuus' gratia argumenti, et etiam ex modo loquendi nunc currente; et ideo conceditur haec tamquam vera quod nasus canis tui est aliquid quod est non nasus tuus.

Et ulterius, quando arguitur "nasus canis tui est non nasus tuus; ergo est tuus non nasus", negatur consequentia, quia in antecedente uterque terminorum positorum a parte praedicati tenetur negative vel infinite, <et> in consequente non nisi alter istorum; et ideo non valet consequentia.

Ad aliam formam, quando arguitur quod nasus canis tui est nasus tuus, quia nasus canis tui est tuus, et non est aliud quam nasus qui est tuus; ergo est nasus tuus, negatur consequentia; unde licet nasus canis tui non sit aliud nisi nasus qui est tuus, non est tamen nasus tuus.

Et si quaeratur cum nasus canis tui sit tuus, et non est nasus tuus quid tuum; igitur est nasus canis, huic dicitur satis cavillatorie et vere quod hoc tuum est nasus canis tui, demonstrato naso canis tui.

Et si arguitur tunc sic: hoc tuum est nasus canis tui; ergo iste nasus tuus est nasus canis tui, dicitur quod non valet ista consequentia, sicut nec ista 'iste pater currit, demonstrato equo qui est pater alterius equi, et est tuus; ergo iste pater tuus currit'. Et consimiliter respondetur ad omnes tales instantias fraudulentas.

Aliter arguitur: si Socrates sufficit per se portare aliquem lapidem per aliquod tempus, et aliquem non sufficit per se portare per aliquod tempus; ergo est dare maximum lapidem vel gravissimum quem ipse sufficit per se portare per tempus vel minimum quem non sufficit per se portare per tempus.

Consequentia arguitur sic: signetur aliquis lapis quem Socrates nunc sufficit per se portare per tempus, et augmentetur in potentia quousque Socrates non sufficiat portare eum per tempus, et sit iste lapis A gratia argumenti. Et arguitur tunc sic: Socrates jam est sufficiens ad portandum A grave, et aliquando erit insufficiens ad portandum A grave; ergo incipit vel incipiet esse insufficiens ad portandum A grave, sed non incipit nunc esse et cetera, ut suppono; igitur aliquando incipit esse insufficiens et cetera. Signetur ergo illud instans, et quaeritur utrum in isto instanti Socrates sufficiat portare A per tempus vel non. Si dicatur quod Socrates tunc erit insufficiens ad portandum A grave per tempus, tunc sequitur quod A grave erit minus lapis vel saltem minimum grave quod Socrates non sufficit per se portare per tempus ceteris paribus. Et si tunc erit sufficiens ad portandum A grave, sequitur quod A tunc erit maximum quod ipse Socrates sufficit portare per tempus et cetera, quia immediate post illud instans erit Socrates insufficiens ad portandum A, quia in illo instanti incipiet esse insufficiens ad portandum A per casum, et hoc per remotionem de praesenti et positionem de futuro; patet igitur quod si Socrates sit sufficiens ad portandum A grave sive insufficiens ad portandum A grave quod erit dare minimum quod Socrates non sufficit portare vel maximum quod et cetera, et hoc per se et per aliquod certum tempus.

Et ideo si conceditur divisio in principio, sicut est concedenda, saltem ad istum intellectum quod est dare maximum grave quod Socrates sufficit per se portare per tempus vel minimum quod non, et illud habet sic exponi: hoc non sufficit Socrates portare per se per tempus, nec aliquod ita grave, et quodlibet minus grave isto vel cujuscumque minoris aliquod aequaliter grave Socrates sufficit per se portare per tempus.

Aliter ad hoc arguitur quod non est dare maximum quod Socrates sufficit portare, quod si sic, sit illud A gratia exempli, et ferat Socrates A. Et tunc arguitur sic: difficilius est Socrates portare A per totam horam quam per medietatem horae, et sic in infinitum; ergo si Socrates sufficiat ferre A per horam, A non est maximum quod Socrates sufficit portare.

Antecedens patet, et consequentia arguitur: quia si Socrates ferat A per horam vel per quodcumque aliud certum assignatum tempus volueris, [et] arguitur tunc sic: difficilius est Socrates ferre A per totum tempus quam per minus; ergo aliquod est grave majus A quod aequae difficile foret Socrati ferre per medietatem tanti temporis sicut A per totum tempus datum, et jam sufficit Socrates portare A per se per tempus; ergo ipse sufficeret ferre majus grave A per medietatem <109va> tanti temporis.

Similiter: Socrates in ferendo A continue debilitabitur cum aliis paribus; ergo quocumque tempore dato quo Socrates fert A erit Socrates debilior in instanti medio ejusdem temporis quam in principio ejusdem temporis, sed in principio A fuit maximum quod Socrates sufficebat portare in principio istius horae per se, et A continue est ita grave sicut in principio fuit, et Socrates continue erit debilior; igitur in nullo instanti post primum instans illius temporis dati erit Socrates sufficiens portare A per se; et si sic; igitur in principio Socrates non fuit sufficiens portare A per se.

Consequentia patet: quia Socrates non debilitabitur aliunde nisi ex supportatione A; igitur in principio incepit ipsum esse insufficiens ad portandum A per se A non alterato aliter quam in eodem instanti.

Ideo propter haec argumenta et alia consimilia quae possunt adduci, conceditur quod non est dare maximum quod Socrates sufficit per se portare per tempus, supposita naturali debilitatione Socratis, inferendo si A foret maximum quod posset portare, si tamen esset possibile quod maneret continue aequae potens sicut in principio, notum est quod esset dare maximum quod Socrates sufficit portare per se per tempus, et staret quod A foret maximum quod ipse sufficit per se portare per horam vel per diem vel per annum, licet potentia motiva A versus deorsum foret tantae potentiae ad descendendum sicut Socrates foret ad ferendum A vel sustinendum, sed non creditur esse possibile quod Socrates feret aliquod tantum grave quin ipse debilitaretur, et hoc tunc non foret maximum quod Socrates sufficit portare per tempus.

Ideo sustinendo quod iste continue debilitabitur in tali latione, tunc ad primam disjunctivam dicitur quod non est dare maximum quod Socrates sufficit portare et cetera, sed est dare minimum quod Socrates non sufficit portare et cetera.

Et sic habet ista propositio probari: hoc non sufficit Socrates per se portare per tempus, sed quodlibet minus grave isto sufficit per se portare per tempus vel cujuslibet minus gravis isto aliquod grave aequale sufficit Socrates per se portare per tempus.

Arguitur tamen quod non: quia detur illud quod sit A. Et quaeritur utrum potentia motiva illius A versus deorsum sit minor potentia portativa illius Socratis vel major vel aequalis. Non minor: quia tunc Socrates sufficeret portare majus A, et sic A non foret minimum quod Socrates non sufficit per se portare. Si major sit potentia A quam potentia Socratis; ergo inter potentiam A et potentiam Socratis infinitae sunt potentiae quarum quaelibet est major potentia Socratis et minor potentia A, et nullam talem sufficit per se Socrates portare; igitur A non est minimum quod Socrates non sufficit per se portare. Ideo forte ponitur quod potentia A est aequalis potentiae Socratis et e contra.



Sed contra: ex isto arguitur quod A non est minimum quod Socrates non sufficit et cetera, quia si A foret tantae potentiae sicut est Socrates, et esset supra positus Socrates, tunc non descenderet nec sufficeret istis partibus descendere, quia si A descenderet istis partibus, et tanta est potentia motiva illius A versus deorsum quanta est potentia portativa illius Socratis, sequitur quod A descenderet ex proportione aequali, consequens impossibile.

Item: si A descenderet, et tanta est potentia motiva illius A versus deorsum quanta est potentia portativa illius Socratis ad impediendum A ne[c] descendat, sequitur quod A descenderet infinita tarditate, et si sic, A non descenderet deprimendo Socratem. Tunc enim sequitur, ut videtur, quod A descenderet et quod A non descenderet. Non enim descenderet A nisi infinita tarditate, ut argutum est, sed non est possibile quod descenderet infinita tarditate, quia si A descenderet infinita tarditate, continue quiesceret, ut faciliter argui potest; ergo et cetera.

Et quod A descenderet infinita tarditate arguitur sic: nihil potest tardius descendere quam tunc faciet A, et aliquid potest descendere infinita tarditate; ergo A descendet infinita tarditate, quod claudit opposita.

Et consequentia patet, et minor probatur sic: aliquid potest descendere aliqua tarditate, et aliquid in duplo <109vb> majori tarditate, et aliquid in triplo majori tarditate; ergo aliquid potest descendere infinita tarditate.

Et major arguitur sic, videlicet quod nihil potest descendere tardius et cetera: quia nec majus A nec minus A nec aequale A. Non majus A: quia quodlibet majus A ceteris paribus est gravius A et, per consequens, velocius descenderet quam A, sicut notum est. Nec minus A: quia nullum minus descenderet, per responsionem datam, ut patet, et etiam per hoc quod Socrates est per se sufficiens portare quodlibet minus A et, per consequens, nullum minus descenderet tardius vel velocius A. Nec aequale A descenderet tardius quam A ceteris paribus: quia nulla posset assignari ratio quare deberet; sequitur igitur propositum.

Praeterea: si nihil sit maximum grave quod Socrates sufficit per se portare per tempus, sequitur quod Socrates non sufficit tantum portare per tempus per se quantum ipse sufficit portare per se per tempus. Et ratione eadem sequitur quod Socrates non est ita sufficiens sicut ipsemet est sufficiens, nec est ita fortis sicut ipsemet est fortis, et tunc sequitur quod est fortior seipso vel debilior, ex quo non est ita fortis sicut ipsemet est fortis, quod est impossibile.

Et prima consequentia arguitur sic: quia si ista non valeat, stet igitur oppositum consequentis cum antecedente, et stabunt ista simul quod non est dare maximum quod Socrates sufficit per se portare per tempus, et tamen tantum sufficit per se portare per tempus quantum ipse sufficit per se portare per tempus. Ponatur igitur hoc, et sit totum quod ipse portat B, et quaeratur an Socrates sufficit portare majus grave hoc B per se et cetera vel non. Si non, sequitur quod B est maximum quod Socrates sufficit portare et cetera. Portat enim B, et nullum majus grave sufficit portare et cetera; igitur et cetera. Si dicatur quod sufficit portare gravius B, et jam non portat gravius B; ergo jam non portat tantum quantum ipse sufficit portare per se et cetera; sequitur ergo propositum, videlicet quod Socrates non sufficit portare per se et cetera quantum ipse sufficit per se portare, et si sic, sequitur quod Socrates sufficit per se portare aliquid, et tamen non sufficit per se portare tantum quantum ipse sufficit per se portare, nec majus nec minus.

Similiter arguitur sic: potentia Socratis est tanta quanta est potentia motiva illius A versus deorsum; ergo qua ratione A sufficit deprimere, Socrates sufficit impedire A ne descendat ipsum supportando.

Arguitur etiam sic: potentia Socratis non sufficit tantum in operatione sua sicut potentia A sufficit in operatione sua; ergo potentia Socratis non est ita potens ad impediendum A sicut potentia A ad descendendum. Et ex isto arguitur sic: aliqua est potentia qua Socrates est potentior ad impediendum A ne descendat ipsum supportando quam ipsa sit ad descendendum, et aliqua est potentia quae magis sufficit descendere quam Socrates sufficiat ad impediendum ipsum ne descendat; ergo aliqua est potentia quae sufficit aequaliter

descendere praecise sicut Socrates sufficit impedire illam, sed quaecumque talis detur, ista erit maxima quam Socrates sufficit impedire, quia quaelibet major plus sufficit descendere quam Socrates sufficiat impedire; ergo quaelibet major descendet; sequitur igitur quod ista potentia quae aequaliter sufficit descendere sicut Socrates sufficit istam impedire est maxima quam Socrates sufficit impedire, sed ista est minor A potentia, sicut satis sequitur quod Socrates sufficit eam impedire et non sufficit impedire A; igitur ista potentia est minor A potentia. Et arguitur tunc sic: sit ista potentia C. Tunc sic: C est potentia minor A potentia, et inter quascumque duas potentias inaequales sunt multae potentiae majori potentia istarum minores et minori potentia istarum majores; ergo inter A potentia et C potentia sunt multae hujusmodi potentiae quarum quaelibet est minor A et major C; ergo A <110ra> potentia non est minima quam Socrates non sufficit impedire; ergo nec A grave est minimum grave quod Socrates non sufficit per se portare et cetera, quod erat probandum.

Ideo ad haec respondetur primo ad primum, quando arguitur quod A grave descendet infinita tarditate, dicitur quod hoc non sequitur, nec est hoc possibile, sicut ibidem arguitur.

Et quando arguitur sic: nihil potest descendere tardius quam A descenderet ceteris paribus; igitur A descendet infinita tarditate (descendet A), et hoc est verum sicut infinita tarditate movetur aliquis punctus in caelo, et tamen quilibet punctus in caelo movetur certa velocitate, et hoc universaliter est verum de facto ubi aliquid de facto movetur motu locali cujus aliquis punctus continue quiescit per aliquod tempus quod infinita tarditate movetur aliquis punctus illius corporis per tempus vel forte per horam, ut posito quod aliquod corpus rarefiat uniformiter aliquo extremo ejus quiescente, tunc aliquis punctus ejus movetur aliquo velociter, aliquis in duplo tardius, aliquis in triplo tardius, et sic in infinitum; immo infinita tarditate movetur aliquis punctus illius corporis, nullus tamen punctus illius corporis movetur infinita tarditate, et sic erit in proposito omnino praeter hoc quod iste terminus 'A' est terminus singularis simpliciter significans illud grave, et iste terminus 'punctus' est terminus communis significans infinitos punctos, et sic in proposito quoad aliud attenditur comparatio inter illa. Ibidem enim conceditur de praesenti quod infinita tarditate movetur aliquis punctus, sed hic conceditur de futuro quod infinita tarditate movebitur A. Unde sicut ibidem infinitae sunt velocitates in tali rarefactione, ita in proposito in infinitis instantibus continue movebitur continue velocitando motum summ; unde sicut de praesenti movetur aliquis punctus aliqua velocitate, aliquis in duplo tardius, et sic in infinitum, sic et A de futuro movebitur in aliquo instanti aliquo velociter, et in aliquo instanti in duplo tardius, et aliquando in quadruplo tardius, et sic in infinitum. Ideo infinita tarditate movebitur A descendendo, numquam tamen movebitur A infinita tarditate, quia numquam movebitur aliqua tarditate quae in aliquo tempore vel in aliquo instanti erit infinita, sicut nec est impossibile quod aliquid moveatur tarditate infinita, quia tunc sequitur quod illud movebitur in aliquo instanti tarditate infinita, quod claudit opposita.

Et si arguitur sic "si aliquid nunc movetur ita tarde sicut A aliquando descenderet cum istis circumstantiis, illud movetur infinita tarditate, sed illud non moveretur tardius quam A, quia in nulla proportione tardius; ergo A descenderet infinita tarditate", [sed] huic dicitur quod ex isto antecedente sequitur contradictionis utraque pars, scilicet quod si aliquid movetur in hoc instanti ita tarde sicut A descendet in aliquo instanti, illud moveretur tardius quam A descendet et non movetur tardius quam A descendet.

Sed forte adhuc arguitur contra illud quod A descendet tardius quam A descendet in aliquo instanti, quia non descendet in aliquo instanti ita tarde sicut ipsum descendet in aliquo instanti. Sed huic potest consimiliter omnino responderi sicut prius in alio sophismate est responsum: ita cito erit instans sicut erit instans, ita modica est aliqua pars proportionalis Socratis sicut est aliqua pars proportionalis Socratis, ita magnus erit Socrates in aliquo instanti sicut erit Socrates in aliquo instanti, ita velociter movebitur Socrates in aliquo instanti sicut

ipse movebitur in aliquo instanti, posito quod ipse continue remittet uniformiter motum suum quousque non movebitur, et sic de talibus multis quae omnia ibi negantur ponendo quod ibidem non confundatur aliquis istorum <110rb> terminorum communium nisi ille qui sequitur totam comparationem, id est omnes illos terminos importantes comparationem. Unde cum dicitur “ita cito erit instans sicut erit instans”, ille primus terminus ‘instans’ ibidem non confunditur, sed supponit ibi confuse non distributive, sicut supponit primus terminus ‘instans’ in ista propositione ‘aliquod instans erit ita cito sicut erit instans’, et ita impossibilis est prima sicut secunda.

Et quod ipse primus terminus ‘instans’ in prima propositione supponat confuse et non distributive apparet sic: quia sub omni termino confuso per hujusmodi comparationem contingit descendere copulative ad sua supposita cum constantia subjecti, quia sequitur ‘Socrates est major quam aliqua pars quantitativa sui, haec pars est quantitativa Socratis; ergo Socrates est major hac parte’.

Similiter: sequitur ‘hoc movebitur ita cito sicut erit aliquod instans, et instans crastinae diei erit; ergo hoc movebitur ita cito sicut erit hoc instans crastinae diei’, similiter ‘Plato est ita fortis sicut homo, Socrates est homo; igitur Plato est ita fortis sicut Socrates’, et sic de talibus omnibus. Sed non contingit descendere sub isto primo termino ‘instans’ in ista propositione ‘ita cito erit instans sicut erit instans’, quia non sequitur ‘ita cito erit instans sicut erit instans, et hoc instans erit; ergo ita cito erit hoc instans sicut erit instans’, quia tunc secundum talem responsionem foret antecedens verum, demonstrato aliquo instanti futuro, et consequens foret impossibile apud omnem responsionem et communem modum loquendi de instanti, scilicet quod in quolibet tempore infinita sunt instantia, et quod nulla duo simul erunt, nec aliqua duo erunt propinquissima, sed inter quaecumque duo instantia infinita sunt instantia, et nullum est primum instans nec aliquod erit primum instans quod erit, et quod continue erit unum instans aliud tamen quam prius fuit, et sic de talibus quae confundunt modum loquendi de instantibus. Notum est quod est impossibile quod hoc instans vel aliquod aliud instans erit ita cito sicut erit instans. Et ideo consimiliter supponunt termini unius propositionis sicut alterius, et omnes termini illarum propositionum ‘aliquod instans erit et cetera’ alternatim sunt convertibiles, sed sicut negatur ista particularis ‘aliquod instans erit ita cito sicut erit instans’, ita negatur ista indefinita ‘ita cito erit instans sicut erit instans’, et propter eandem causam negantur omnes propositiones hic positae, sicut ibi negantur.

Et per hoc dicitur ad istam propositionem argutam in hoc argumento, scilicet quod A descendet tardius quam descenderet in aliquo instanti, negando istam nec potest ipsa probari per aliquod argumentum ibi factum. Verumtamen si respondens voluerit, potuerit concedere eam tamquam probabiliter sustinendam.

Et [si] arguitur quod non: quia A non descendet in aliqua proportione tardius quam ipsum descendet in aliquo instanti; igitur A non tardius descendet quam descendet in aliquo instanti.

Similiter: si aliquid movebitur ita tarde praecise sicut A movebitur in aliquo instanti, idem movebitur ita tarde sicut A movebitur, sed illud non movebitur tardius quam movebitur A in aliquo instanti; ergo A non movebitur tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti.

Similiter: si A movebitur tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti, et nunc non movetur tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti; ergo incipit vel incipiet moveri tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti.

Similiter, sicut prius quodammodo argutum est: si A movebitur tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti, et infinita tarditate movebitur A in aliquo instanti; ergo A movebitur tardius quam infinita tarditate.

Similiter: nihil potest moveri majori tarditate quam erit tarditas qua movebitur A in aliquo instanti; ergo nihil potest moveri tardius quam movebitur A in aliquo instanti.

Similiter: nec per tempus nec per instans movebitur A tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti; <110va> ergo numquam movebitur tardius quam movebitur in aliquo instanti.

Ad haec argumenta respondetur simul negando quamlibet istarum consequentiarum.

Pro primo, satis patet quod non valet ista consequentia ‘A in nulla proportione movebitur tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti; ergo A non movebitur tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti’, sicut non sequitur ‘in nulla proportione erit Socrates major quam erit aliqua pars quantitativa sui; igitur Socrates non erit major quam erit aliqua pars quantitativa sui’, ‘haec hora in nulla proportione durabit diutius quam durabit aliqua pars ipsius horae; igitur haec hora non durabit diutius quam aliqua pars hujus horae’, et sic de talibus infinitis satis patet quod non valet consequentia.

Pro secunda consequentia facta, dicitur ut prius quod antecedens claudit opposita, videlicet quod aliquid movebitur ita tarde praecise sicut A movebitur in aliquo instanti cum istis circumstantiis, quia sequitur quod illud movebitur tardius quam movebitur A in aliquo instanti, et etiam illud non movebitur tardius quam movebitur A, quia, sicut prius argutum est, illud non movebitur ita tarde in aliquo instanti sicut movebitur A in aliquo instanti; igitur numquam movebitur ita tarde praecise sicut A movebitur in aliquo instanti, quia iste terminus ‘praecise’ includit in se mensuram adaequatam, scilicet tempus vel instans per quod movebitur ita tarde sicut movebitur A in aliquo instanti, quod est impossibile.

Ad tertiam formam, quando arguitur quod A incipit vel incipiet moveri tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti, huic dicitur quod consequentia non valet, consequens tamen illud potest concedi in casu posito de A, quia in isto casu A incipit moveri continue intendens motum suum a quiete, sed cum alias remittit motum suum consimiliter sicut motum intendit, et per eosdem gradus tunc non incipiet in principio moveri tardius quam movebitur in aliquo instanti, nec postea etiam incipiet moveri. Ideo non valet consequentia illa facta, conceditur tamen consequens juxta istam responsionem, scilicet quod incipit moveri tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti, et hoc etiam potest concedi in omni casu ubi est ita quod aliquod mobile incipit intendere motum suum a quiete et non ab aliquo gradu exclusive, sive incipiat intendere motum suum uniformiter sive difformiter, et in omni tali casu est concedendum quod mobile incipit moveri tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti post, et tamen numquam desinet moveri tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti si continue intenderet motum suum, nec umquam desinet nec desineret moveri tardius quam ipsum incipit moveri quando ipsum sic incipit intendere motum suum a quiete, et numquam desinet tardius moveri quam ipsum incipit moveri quando ipsum sic incipit intendere motum suum a quiete, quia in quolibet instanti in quo ipsum movebitur velocius quam ipsum incipit moveri, et etiam conceditur quod non potest aliquod mobile movere tardius quam talis mobilis incipit moveri quando ipsum incipit intendere motum suum a quiete. Et ideo non potest aliquod mobile desinere moveri tardius quam tale mobile incipit moveri, potest tamen illud mobile consimiliter alias remittendo motum suum desinere moveri ita tarde sicut hoc incipit et cetera. Et tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti, potest tamen dici in casu isto quod A nunc incipit moveri ita tarde sicut ipsum movebitur in aliquo instanti, et tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti et nec tamen ipsum desinit nec <110vb> umquam desinet moveri ita tarde vel tardius sicut movebitur A in aliquo instanti, sicut prius dictum est.

Et si arguitur quod sic, quia jam incipit facere sic vel sic, et non in aeternum faciet sic; ergo desinit vel desinet sic facere, huic dicitur quod ista consequentia est bona, quia ibidem demonstratur aliquis certus actus vel actio vel motus qui vere durabit per tempus vel per instans, sicut et alia actio quaecumque, sed sic non est in proposito sicut nec hic ‘Socrates incipit dividere B superficiem vel C lineam; ergo desinit vel desinet dividere B superficiem vel C lineam’, sit C una linea quam Socrates incipit dividere. Et notum est quod non valet consequentia, et causa est quia per nullum tempus vel per aliquod instans dividet Socrates

illam lineam, sed in quolibet tempore terminato ad hoc instans vel incipiente ab hoc instanti quod est praesens vel cujus temporis incipientis ab hoc instanti hoc instans est intrinsecum ista linea divisa. Et consimiliter est respondendum posito quod Socrates jam primo sit, et continue debeat minorari quousque non sit, tunc notum est quod Socrates incipit esse ita parvus sicut umquam erit, et tamen non desinet esse ita parvus sicut umquam erit, nec desinet, et sic de consimilibus. Ideo non est inconveniens, numquam tamen potest argui ex isto quod aliquid incipit esse quod non in aeternum erit, et tamen ipsum non desinit nec desinet esse, sicut satis apparet intuiti.

Ad quartum, quando arguitur quod A descendet tardius quam infinita tarditate, dicitur quod hoc est impossibile.

Et ad argumentum, quando arguitur quod sic, dicitur negando consequentiam, sicut non sequitur ‘in infinitum longa est aliqua pars istius lineae, et ista linea est major quam aliqua ejus pars; igitur ista linea est major quam aliqua pars infinitae lineae vel quam linea infinita’. Posito enim quod aliqua linea debeat rarefieri girative quousque sit infinita, si remaneret in fine rarefactionis, sicut est satis possibile vel saltem<sup>183</sup> imaginabile, foret antecedens verum et consequens falsum, quia in tali casu non sequitur quod ista linea erit infinita, sed sequitur quod ista linea non erit infinita, quia in quolibet instanti in quo ipsa erit, ipsa erit tantum infinita; ergo ipsa numquam erit infinita; igitur a fortiori numquam erit ipsa major quam infinita. Potest tamen concedi cum casu priori quod infinita tarditate majori tarditate A descendit, hoc sequitur ibi sicut in casu rarefactionis sequitur quod infinita parte illius lineae erit ista linea major, sicut infinito numero est numerus finitus major, et sic de aliis consimilibus, sicut satis patet in alio sophismate.

Ad quintam rationem, dicitur similiter negando consequentiam istam ‘A non potest descendere tardiori gradu quam ipsum descendet in aliquo instanti; ergo A non potest moveri tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti’, quia ad hoc quod aliquid movebitur tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti non requiritur quod ipsum movebitur tardiori gradu quam ipsum movebitur in aliquo instanti, sicut posito quod aliquid movebitur localiter cujus nullus punctus sit velocissime motus, nec ita velociter sicut aliquis punctus illius, tunc illud movebitur velocius quam aliquis punctus illius, et tamen nullo gradu movebitur quo non movebitur aliquis ejus punctus. Ponatur enim quod continue intendant omnia puncta motus suos ita tamen quod in nullo instanti erit dare punctum <111ra> velocissime motum quousque totum corrumpatur, unde sicut in casu posito per totam istam horam movebitur illud mobile velocius quolibet puncto illius, et tamen nullo gradu movebitur illud mobile quo non movebitur aliquis ejus punctus, quia non est dare maximum gradum quo illud mobile movebitur nec quo movebitur aliquis punctus illius, sicut in priori casu nullus est tardissimus seu minimus gradus quo A descendet toto isto tempore nec aliquis est minimus gradus quo A descendet in aliquo instanti; ideo non sequitur quod quamvis A movebitur tardius in toto tempore quam in aliquo instanti quod tardiori gradu vel majori tarditate movebitur A quam in toto tempore vel in aliquo instanti.

Ad sextam et ultimam formam ibidem factam, dicitur negando consequentiam, istam scilicet ‘A nec per tempus nec per instans movebitur tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti; ergo non movebitur tardius quam ipsum movebitur in aliquo instanti’, sicut non sequitur ‘nulla duo instantia erunt per tempus nec per instans; ergo nulla duo instantia non erunt’, sicut nec sequitur ‘nec per tempus nec per instans erit Socrates tantus sicut erit Plato; ergo Socrates non erit tantus sicut erit Plato’, <sicut nec sequitur> ‘nec per tempus nec per instans Socrates

---

<sup>183</sup> saltem corr.: saltim V

dividet C lineam; ergo Socrates non dividet C lineam', et sic de talibus multis infinitis consequentiis quarum consequentiarum nulla valet, sed quacumque una re simplici naturali demonstrata seu composita, si illa res non erit per tempus nec per instans; igitur illa res non erit, bene valet consequentia, in talibus tamen terminis compositis, sicut prius argutum est, non valet consequentia communiter, sicut patet intuenti.

Ideo istis visis, respondetur ad argumentum principale, quando arguitur quod nihil potest descendere tardius quam A descendet istis paribus, dicitur concedendo illam propositionem, sicut dictum est prius, et quod nec per tempus nec per instans movebitur A ita tarde sicut ipsum movebitur, sed in quolibet tempore quod incipiet a praesenti instanti vel cujus temporis hoc instans praesens est instans intrinsecum movebitur A tarde sicut ipsum movebitur.

Ideo pro forma argumenti conceditur quod nec majus A nec minus A nec aequale A movebitur vel potest moveri tardius quam A descendet, quia infinita tarditate descendet A, et ita tarde etiam incipiet quodcumque grave aequale A istis paribus descendere cum istis circumstantiis sicut jam ipsum incipit descendere; ideo si Socrates continue maneret aequalis potentiae sicut est in principio, et ipso A non fortificato non descenderet dum Socrates secundum ultimum suae potentiae niteretur ipsum supportando, sed licet Socrates se habeat in principio in proportione aequalitatis ad A, tamen ista proportio non durabit nisi per hoc instans praesens tantum, sed continue erit proportio A ad Socratem major et major; ideo A continue velocitabit suum descensum, sicut frequenter est dictum; ideo non procedit argumentum.

Ad aliud, quando arguitur quod Socrates non sufficit per se portare tantum quantum ipse sufficit portare, et hoc per se, dicitur concedendo conclusionem, quia aliter, sicut probat argumentum, esset dare maximum quod Socrates sufficit per se portare per tempus, <111rb> modo hoc est falsum et prius negatum.

Sed quando arguitur ex isto ulterius quod eadem ratione sequitur quod Socrates non est ita fortis nec ita sufficiens sicut ipse est sufficiens, huic dicitur quod ista sunt falsa nec sequuntur ista nec aliquod istorum ex responsione data, nec ex hoc sequitur quod Socrates sufficit tantum per se portare quantum ipse sufficit portare per se, quia, sicut prius argutum est, non est dare maximum quod Socrates sufficit portare per se per tempus. Et ideo conceditur quod ex isto sequitur quod Socrates non sufficit tantum per se portare per tempus sicut ipse sufficit portare per se nec majus nec minus, sicut ibidem argutum est.

Ad aliam formam, quando arguitur sic "potentia Socratis est tanta quanta est potentia A; ergo qua ratione potentia A sufficit descendere deprimendo Socratem potentia Socratis supportabit A ne descendat", [sed] pro isto dicitur negando istam consequentiam, quia licet potentia Socratis sit tanta jam quanta est A potentia, numquam tamen post hoc erit ipsa tanta, immo naturaliter plus debilitabitur potentia Socratis ad supportandum quam potentia A gravis ad descendendum, si potentia illius gravis debeat debilitari, quod tamen non requiritur. Ideo, licet potentia Socratis sit jam tanta sicut potentia illius A, ipse tamen continue debilitabitur in resistendo ceteris paribus; et ideo non est ita sufficiens ad supportandum A, sicut A ad descendendum.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: potentia Socratis nunc non est minor potentia A, licet continue post hoc erit ipsa minor tota potentia A; ergo eadem ratione potentia Socratis nunc non est insufficiens ad portandum A, quamvis continue post hoc erit insufficiens ad portandum A.

Similiter: capiatur una potentia inanimata quae sit tanta sicut nunc est potentia Socratis, quae potentia non sit ita debilitabilis sicut est potentia Socratis, sed continue erit aequalis potentiae Socratis sicut jam est, non obstante quod ipsa supportat A. Et tunc arguitur sic: haec potentia

est sufficiens ad supportandum A grave, et potentia Socratis est tanta sicut est; igitur potentia Socratis est sufficiens ad supportandum A grave, vel sequitur ista conclusio quod aliquae sunt duae potentiae aequales omnino, et una sufficit portare A grave, et alia non sufficit, quod apparet falsum.

Ad haec respondetur, primo ad primum, quando arguitur quod potentia Socratis non est jam minus sufficiens ad portandum A grave quamvis continue post hoc debilitabitur in portando A grave, huic dicitur quod negativa ista est vera, quia hujus oppositum implicat falsum, scilicet quod potentia Socratis est minus sufficiens ad portandum A, quia si potentia Socratis sit minus sufficiens, ipsa tunc erit sufficiens et cetera.

Sed illa responsio non vadit ad propositum argumenti; ideo pro isto dicitur quod potentia Socratis non est sufficiens et cetera, quae Socrates continue debilitabitur naturaliter, quia non supportaret A per tempus, quae si maneret non debilitata naturaliter foret satis sufficiens sub eodem gradu sub quo nunc est.

Et ad argumentum, quando nunc arguitur quod potentia Socratis nunc non est minor eo quod continue post hoc naturaliter erit minor, huic dicitur quod hoc est verum.

Sed quando ulterius arguitur “ergo eadem ratione nunc non est insufficiens <111va> eo quod continue post hoc erit insufficiens”, huic dicitur quod hoc consequens est verum, sed quia non valet ista consequentia ‘potentia talis continue post hoc erit insufficiens ad hujusmodi operationem; ergo nunc est insufficiens ad hujusmodi operationem’, nec est ista causa quare Socrates est insufficiens et cetera, sed haec est causa quia Socrates cum sua potentia jam non sufficit per se sufferre tantam passionem ab A per tempus portando ipsum A sicut A naturaliter in ipsum est activum cum istis circumstantiis.

Ad aliam formam, quando arguitur quod Socrates sufficit per se portare A et cetera, quia una potentia aequalis potentiae Socratis sufficit per se portare A per tempus, huic dicitur negando consequentiam, et conceditur quod aliquae sunt duae potentiae omnino aequales quarum una sufficit per se portare A per tempus et alia non, quae fuit conclusio ibidem arguta. Et causa est, ut praedictum est juxta argumenta praecedentia, quia licet istae duae potentiae sint omni modo aequales, una tamen illarum est altera magis durativa ejusdem gradus et dispositionis sicut ipsa nunc est. Et ideo juxta hoc conceditur quod aliquae sunt duae potentiae quarum una altera earundem in duplo est fortior, et tamen ista quae est magis debilis sufficit agere aliquem actum et multas actiones difficiles quas non sufficit fortior earundem agere per se. Sed tamen non sequitur quod minor potentia sufficit per se agere fortiorem et intensiorem actionem.

Sed forte sequitur quod si aliquae sint duae potentiae aequales simpliciter et quod jam tam difficilem actionem simpliciter et intensive, sufficit una illarum agere quod aequalem actionem sufficit altera illarum agere per se. Et causa est quia difficultas actionis attenditur penes potentiam ipsam activam naturaliter agentem talem actionem et maxime penes potentiam talem a qua naturalissime provenit hujusmodi actio. Unde juxta illud erratur frequentissime signando difficultatem actionis intensivae secundum proportionem inter agens et suam resistantiam dicendo quod semper a minori proportione agentis ad suam resistantiam resultat major difficultas intensive, et ita concedunt quod in qualibet remissione proportionis majoris inaequalitatis ad proportionem aequalitatis si agens continue agit secundum talem remissionem, sequitur quod infinita erit difficultas in illa actione ante finem illius remissionis, et sequitur expresse, quia proportionaliter sicut remittetur proportio agentis ad resistantiam, ita crescit difficultas actionis, sed proportio agentis ad suam resistantiam remittetur ab aliqua proportione ad subduplam, et sic in infinitum, sicut patet intuitu; igitur consimiliter intenditur difficultas actionis; ergo cum in infinitum remittetur proportio agentis ad suam resistantiam, in infinitum etiam intendetur difficultas actionis et cetera. Et ideo dicunt quod a

proportione aequalitatis non potest provenire difficultas actionis, sicut nec potest ab ista proportione provenire motus.

Et confirmant hanc responsionem per communia experimenta, et dicunt quod si majori velocitate sufficit agens facere aliquid, etiam sufficit facere illud minori velocitate <111vb> ceteris paribus, et proportionaliter cum ipsum agat ita velociter sicut ipsum sufficit agere maxima agit difficultate, quia illud non sufficit agere majori difficultate, et proportionaliter sicut accedit ad stam velocitatem ita intenditur difficultas actionis, sed velocitas in agendo attenditur penes proportionem agentis ad passum suum; ergo difficultas et cetera.

Sed contra hanc responsionem arguitur primo quod ista responsio et ratio quam ista responsio ducit pro suo fundamento repugnant. Dicitur enim in primo quod difficultas actionis attenditur penes proportionem agentis ad suam resistantiam et quod continue sicut minoratur proportio sic crescit difficultas. Sed ex isto arguitur quod difficultas actionis sequitur tarditatem dum fiat actio secundum ultimum suae potentiae ipsius proportionis agentis ad suam resistantiam, quia ista tarditas sequitur proportionem, sicut et alia velocitas; igitur ubi est major tarditas ibi est major difficultas actionis, cujus oppositum adducit haec responsio pro suo fundamento, ut apparet. Positum enim est quod quando agens agit maxima velocitate qua ipsum sufficit agere, tunc est maxima difficultas quam ipsum sufficit agere; igitur cum illa difficultas sit tantum finita sub gradu finito difficultatis, sequitur quod non in infinitum crescit illa difficultas, cum remittatur proportio majoris inaequalitatis ad proportionem aequalitatis ipso principali agente continue existente in agendo finito quousque cesset ad proportionem aequalitatis, quia ibidem argutum est quod quando agens agit gradu velocissimo quo ipsum agens sufficebat agere, tunc egit maximam difficultaten quam sufficebat agere; posito etiam quod continue aget velocissimo gradu quo ipsum sufficit agere in tali instanti ita quod continue per totam horam sit ita quod agit velocissimo gradu quo ipsum sufficit in praesenti instanti agere et quod continue per totam eandem horam remittatur proportio agentis ad resistantiam suam ita quod in fine horae sit proportio agentis ad suam resistantiam proportio aequalitatis, sequitur quod continue aget agens tantam difficultaten quantam ipsum sufficit agere; ergo continue manebit aequalis difficultas actionis sicut prius, cujus oppositum est prius positum.

Per istam responsionem dicitur primo, ut prius, quod continue sicut remittitur proportio agentis ad suam resistantiam ita crescit difficultas actionis, quod tamen non est verum ponendo quod continue sit aequalis difficultas actionis quando agens agit secundum ultimum suae potentiae et velocissimo gradu quo ipsum sufficit agere, cum aliis circumstantiis agere, quod etiam prius erat positum in confirmatione illius responsionis.

Praeterea arguitur contra istam responsionem sic: si difficultas actionis sequitur proportionem agentis ad suam resistantiam, sequitur quod infinitae difficultatis foret portare pixam modicam, vel movere aliquem pilum in capite tuo, vel unum modicum stramen, et quod ita facile est movere pondus maximum sicut unam pixam. Primo enim arguitur quod infinitae difficultatis sit portare unam pixam modicam, quia <112ra> tanta est difficultas ad portandum unam pixam quam modica est proportio alicujus motoris ad portandum eandem, sed non tam modica est proportio alicujus motoris ad portandum eandem quin minor est proportio alicujus motoris ad portandum eandem, et hoc in duplo minor et in triplo minor, et sic in infinitum; ergo infinita est difficultas portare hanc pixam.

Consequentia patet, et antecedens probatur per istam responsionem, consequenter est consequens illud ponendum et concedendum, quod tamen est impossibile.

Et visa probatione tunc statim apparet qualiter sequitur alia conclusio proposita, scilicet quod aequae difficile est movere unam pixam sicut unum maximum pondus, et portare pixam sicut unum maximum pondus, quia aequalis est proportio alicujus potentiae ad portandum pixam sicut est talis ad portandum maximum pondus, demonstrata una potentia quae satis bene sufficit portare illud pondus, sicut forte camelus posset vel aliquod hujusmodi animal forte. Et



arguitur tunc sic: talis est difficultas ad portandum illud pondus qualis est proportio illius potentiae portantis ad potentiam motivam illius ponderis, et e contra, et consimiliter talis est difficultas portare illam pixam qualis est proportio illius potentiae portantis ad potentiam motivam illius pixae, sed aequalis est proportio potentiae portantis illam pixam ad potentiam motivam illius pixae sicut est potentiae portantis illud pondus ad potentiam motivam illius ponderis, ut pono; igitur tanta est difficultas portare illam pixam sicut portare illud pondus. Consequentia patet juxta illam responsionem; ergo et cetera.

Ideo dicitur quod difficultas actionis attenditur penes potentiam naturaliter agentem istam, et talis agentis quod est maxime dispositum naturaliter ad istam actionem faciendum. Unde difficultas pertranseundi unam leucam vel viginti leucas in hora non attenditur simpliciter penes potentiam cursivam unius asini vel hujusmodi tardi animalis, sed penes potentiam cursivam unius cervi vel animalis optime dispositi ad currendum, quaecumque fuerit difficultas ista, et difficultas portandi unum pondus grave sive mediocre non attenditur simpliciter et intensive penes potentiam portativam unius muscae vel alicujus debilis animalis sic dispositi, sed penes potentiam animalis naturaliter optime dispositi ad portandum, et sic de aliis difficultatibus quibuscumque, et sicut animal naturaliter est magis vel minus dispositum ad hujusmodi difficultates faciendas, sic magis vel minus attenditur ista difficultas penes potentiam illius animalis sic dispositi ad istam actionem faciendam. Ideo, sicut dicebatur in principio, si sint duae potentiae aequales simpliciter, istae duae possunt facere aequalem difficultatem intensive et simpliciter, licet tamen una istarum altera earundem sufficiet facere majorem actionem extensive, quia talis difficultas non attenditur simpliciter penes potentiam talem vel talem ita determinatam quod non secundum aliam, sed indifferenter secundum quamcumque potentiam sufficientem facere eam, sicut difficilius est movere A per horam quam per medietatem horae extensive et non intensive, quia quacumque potentia data quae sufficit movere aliquod mobile per aliquam partem alicujus horae, illud idem sufficeret illud mobile per totam illam horam movere vel per annum, dato quod non debilitetur in agendo; ideo aequalis difficultatis intensive est quaelibet pars actionis sicut tota actio, non tamen extensive.

Ad formam ultimam, quando arguitur quod aliqua est potentia qua Socrates est potentior ad impediendum A ne descendat quam ipsum sit ad deprimendum Socratem sic descendendo, et aliqua est potentia qua Socrates est minus potens ad impediendum A ne descendat quam est A ad deprimendum Socratem in descendendo; ergo aliqua est potentia quae praecise sufficit tantum ad descendendum sicut Socrates sufficit ipsum portare, huic dicitur quod haec consequentia est bona tamquam ex impossibili. Est enim antecedens illius consequentiae impossibile, scilicet hoc 'aliqua est potentia quae magis sufficit deprimere Socratem quam Socrates sufficit supportare ipsum', quia illa implicat quod talis potentia sufficit deprimere Socratem et etiam quod Socrates sufficit per se supportare eam, quod non est possibile. Et ita non est mirabile, quamvis ex uno impossibili sequatur aliud impossibile, et sic non procedit argumentum.

Praeterea arguitur ad sophisma sic: sit A aliquod grave quod Socrates sufficit per se portare per tempus vel movere, et crescat gravitas A quousque A sit ita grave quod Socrates non sufficiat illud portare vel movere A, ponatur tamen quod continue sicut crescit gravitas A quod Socrates ita fortificetur, non tamen in tanta proportione. Tunc, isto casu posito, vel est dare primum instans in quo Socrates erit insufficiens ad portandum A per se vel ultimum in quo non erit insufficiens ad portandum A per se per tempus.

Si detur primum instans in quo Socrates erit insufficiens ad portandum A per se per tempus, ulterius, sicut prius probatum est, ponatur quod B sit illud instans gratia exempli, et arguitur tunc sic: in B instanti Socrates erit insufficiens ad portandum A per se et cetera, et tunc erit

sufficiens ad portandum quodlibet minus A et cetera; igitur A erit minimum quod Socrates tunc non sufficiet per se portare per tempus.

Et arguitur quod hoc sit falsum: quia si in B instanti Socrates erit fortior quam in aliquo instanti citra B; ergo in B instanti sufficiet Socrates portare majus quam in aliquo instanti citra B, et in quolibet instanti citra B Socrates sufficiet portare A, et A non erit in aliqua proportione majus quam ipsum erit ante B; sequitur tunc quod Socrates sufficiet portare A, quod erat negatum.

Sed consequentia ista arguitur sic: si Socrates tunc erit fortior quam in aliquo instanti citra B; ergo tunc plus sufficiet portare per se quam in aliquo instanti citra B, quia si Socrates sit fortior Platone vel tali vel tali, Socrates sufficit plus portare per se quam aliquis illorum quocumque est fortior; ergo consimiliter si in B instanti erit Socrates fortior quam in aliquo instanti citra B, in B instanti erit ipse sufficiens ad portandum majus quam in aliquo instanti citra B. Aliter enim appareret quod non erit ipse tunc fortior quam prius nisi ipse sufficeret facere plus quam prius sufficiebat.

Si illud conceditur, arguitur tunc sic: Socrates erit sufficiens in B instanti ad portandum majus quam in aliquo instanti citra B; ponatur igitur quod tunc portabit plusquam ipse erit sufficiens ad portandum in aliquo instanti citra B, et quaeritur tunc utrum illud quod Socrates portabit tunc erit gravius vel minus grave A vel aequale A.

Si illud erit gravius vel aequale ipsi A et Socrates tunc portabit <112va> illud per se; ergo tunc sufficiet ipse per se portare A.

Si illud sit minus A; ergo in aliquo instanti ante B A fuit praecise tantum sicut tunc erit illud vel majus quam tunc erit illud, et continue ante illud instans Socrates sufficiebat portare A; ergo continue ante illud instans Socrates sufficiebat portare illud, quod est contra casum. Ponatur enim quod Socrates tunc portabit illud quod tunc erit majus quam aliquid quod Socrates sufficiebat portare ante B; sequitur igitur quod non stat cum casu quod illud erit minus A; ergo erit majus A vel aequale A, et Socrates tunc sufficiet portare illud; igitur tunc sufficiet portare A, sicut prius argutum est.

Ideo pro isto forte dicitur admittendo totum casum quousque fiat consequentia ista, scilicet quod in B instanti Socrates sufficiet portare majus quam citra B, quia tunc erit ipse fortior quam in aliquo instanti citra B. Huic dicitur negando istam consequentiam.

Et quando arguitur ulterius tunc quod Socrates tunc erit magis sufficiens per se ad portandum quam in aliquo instanti citra B, quia ipse erit fortior tunc quam prius, huic dicitur concedendo consequentiam.

Et quando arguitur ex isto “si Socrates tunc erit magis sufficiens et cetera, tunc Socrates sufficiet per se plus portare”, huic dicitur negando consequentiam, ut patet. Et causa est quia quamvis Socrates tunc erit fortior quam prius, tamen nihil erit maximum quod ipse sufficiet per se portare ante B, sicut nec umquam aliquid erit maximum quod ipse sufficiet per se portare ante B; et ideo non sequitur quod ipse tunc sufficiet majus portare quam prius sufficiebat portare, quia nullum majus grave tunc sufficiet portare quod prius non sufficiebat portare, quia quidquid tunc sufficiet Socrates portare ante sufficiebat Socrates portare illud, idem ceteris paribus juxta casum positum.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: ponitur enim gratia exempli quod B instans sit nunc. Et arguitur tunc sic: Socrates est nunc sufficiens plus portare quam umquam prius fuit; ergo nunc sufficit plus portare quam prius sufficiebat portare.

Quod arguitur sic: quia nunc sufficit portare aliquid, et numquam prius sufficiebat portare sicut nunc sufficit; igitur Socrates nunc sufficit plus portare quam numquam prius sufficiebat portare.

Consequentia patet, et antecedens arguitur: quia, quocumque instanti dato ante B, in isto instanti dato non sufficit Socrates tantum per se portare sicut iste nunc sufficit per se portare, accipiendo istum terminum ‘portare’ continue pro per se portare.

Et ista ultima propositio probatur sic: quia si in aliquo instanti vel aliquo tempore sufficebat Socrates portare tantum sicut ipse modo sufficit portare, et nunc sufficit tantum portare quantum tunc sufficebat, ex quo nunc non est minus sufficiens quam ipse tunc fuit; igitur ipse nunc sufficit portare tantum sicut ipse nunc sufficit portare, quod est contra prius posita et immediate contra hanc responsionem, quia tunc sequitur quod tunc Socrates sufficit portare A vel quod A tunc non est minimum quod Socrates non sufficit portare, sicut satis patet ponendo quod ipse portet nunc tantum sicut ipse sufficit nunc portare. Et quaeritur utrum portat majus A vel minus A vel aequale A, et habetur propositum si maximum quod ipse portat sit minus A; igitur illud in aliqua proportione est minus A; ergo inter A et illud sunt infinita quorum quodlibet est minus A, et tamen nullum illorum sufficit Socrates portare, quia quodlibet istorum est majus quam maximum quod ipse nunc portat, et ipse nunc portat tantum sicut ipse sufficit portare; igitur et cetera.

Sed forte pro isto dicitur quod si Socrates <122vb> portat tantum quantum ipse sufficit portare, [quod] nihil est maximum quod ipse portat sicut nihil est maximum quod ipse sufficit portare in rei veritate.

Sed haec responsio est rudis et ridiculosa: quia notum est quod si Socrates portat aliquod unum ita quod non aliquod aliud quam illud idem vel partem illius, tunc illud totum est maximum quod ipse portat, et si portet plura distincta numero quae non sunt partes alicujus illorum, adhuc istorum aliquid est maximum eorundem ita quod nullum istorum est majus illo, quia nullum istorum est infinitum, et adhuc si foret aliquod istorum infinitum, bene valeret consequentia facta; ideo responsio ista nulla est.

Sed contra priorem responsionem arguitur sic iterum: Socrates nunc est sufficiens plus portare per se quam prius fuit.

Probatio: immediate post hoc erit Socrates sufficiens plus portare quam nunc sufficit, et similiter omnino immediate ante hoc fortificabatur sicut immediate post hoc fortificabitur; ergo sicut immediate post hoc Socrates erit sufficiens ad plus portandum quam nunc sufficit, sic ipse nunc est sufficiens plus portare quam immediate ante hoc sufficebat portare. In aliis enim terminis videtur illa consequentia utrobique valere. Sequitur enim si Socrates fortificetur continue sicut in casu posito ponitur quod sicut continue erit ita quod immediate post instans quod est praesens erit Socrates fortior quam ipse est, ita continue erit ita quod ipse est fortior quam ipse prius fuit, et sic de aliis, posito quod Socrates continue recedat ab E puncto, tunc continue erit ita quod Socrates immediate post instans quod est praesens plus distabit ab E puncto quam ipse distet ab E puncto in praesenti instanti, et quod continue erit ita quod ipse plus distat ab E puncto in praesenti instanti quam umquam prius sive immediate ante instans quod est praesens distabat ab E puncto; ergo consimiliter valebit consequentia praefacta.

Similiter arguitur sic: Socrates sufficit portare A.

Probatio: potentia Socratis est sufficiens ad portandum A.

Quod arguitur sic: quia ista vel saltem tanta requiritur ad portandum A, et non major requiritur ad portandum; igitur illa sufficit.

Consequentia apparet: quia si ista tunc non sufficiat; ergo ad hoc quod A portaretur aliqua potentia requiritur major, consequens est falsum; ergo et cetera.

Et antecedens istius consequentiae arguitur sic: tanta potentia quanta est potentia Socratis requiritur ad portandum A — non enim indiget probatione, quia illud ponitur per istam responsionem. Et est satis manifestum quod non major potentia requiritur ad portandum A quam potentia Socratis. Arguitur sic: quia nulla major requiritur, quia si aliqua major requiretetur, sit illa D gratia argumenti. Et arguitur sic: inter potentiam Socratis et D potentiam sunt infinitae potentiae quarum quaelibet est major potentia Socratis et minor D, sed potentia major requiritur ad portandum A; ergo nulla illarum major potentia Socratis sufficit portare A, cujus oppositum tamen est verum et quaelibet illarum est major potentia Socratis, ut jam acceptum est; ergo non quaelibet potentia major potentia Socratis sufficit

portare A, cujus oppositum tamen est prius dictum, quia licet Socrates fortificetur plus et A foret aequae grave praecise sicut ipsum nunc est Socrates sufficeret portare A, quia quantumcumque modicum minus grave foret A quam nunc est et Socrates foret ita potens sicut nunc est ipse sufficeret portare A, sicut immediate sequitur ex <123ra> responsione data per casum, quod est verum in casu illo et cetera. Ideo forte negatur quod inter potentiam Socratis et D potentiam sint infinitae potentiae quarum quaelibet est major potentia Socratis et minor potentia D, et dicitur forte quod D potentia et potentia Socratis sunt duae potentiae immediatae ita quod inter illas potentias non est aliqua potentia media, et quod D potentia est major potentia Socratis, et tamen in nulla proportione est major sicut potentia Socratis est major quam prius fuit et tamen in nulla proportione est major quam prius fuit. Et notum est quod haec responsio claudit opposita: quia si D potentia sit major potentia Socratis, tunc proportio D potentiae ad A grave est major quam proportio potentiae Socratis ad A grave vel istae duae proportiones sunt diversae speciei, sed sive sic sive sic, sequitur quod D potentia in aliqua proportione quam potentia Socratis est major, quia si ponatur quod duae proportiones ejusdem speciei vel diversarum specierum sunt immediatae ita quod inter illas non sit aliqua proportio, non est intelligibile secundum illos terminos.

Similiter: si D potentia sit major potentia Socratis et non in aliqua proportione signetur una alia potentia Socratis quae consimiliter est major D potentia sicut D potentia est major potentia Socratis, et sit illa potentia G, et si volueris signentur supra G quaecumque potentiae finitae vel infinitae. Et probatur quod nulla illarum est major potentia Socratis in aliqua proportione: quia G potentia non est major potentia Socratis in aliqua proportione.

Quod arguitur sic: et ponitur quod Socrates debeat fortificari quousque habeat G potentiam vel sibi aequalem, et arguitur quod Socrates immediate post hoc habebit G potentiam vel sibi aequalem, quia Socrates immediate post hoc habebit D potentiam.

Probatio: quia immediate post hoc habebit majorem potentiam quam jam habet, quia fortificabitur continue, et D est potentia major potentia Socratis et in nulla proportione major; ergo Socrates immediate post hoc habebit D potentiam vel sibi aequalem, et immediate post, cum habuerit D potentiam vel sibi aequalem, habebit G potentiam vel aequalem, quia si non sit, ponatur ergo quod ipse fortificetur per horam et non immediate post hoc habebit G.

Sed arguitur instans sic: quia immediate post hoc ipse habebit D, sicut prius probatum est, et immediate post D habebit G, per aliud argumentum notum est; ergo immediate post hoc habebit G.

Consequentia arguitur sic per idem argumentum; ergo Socrates immediate post hoc habebit G, quia si non immediate post hoc habebit D potentiam et immediate post hoc habebit G potentiam vel sibi aequalem; ergo aliquando habebit D potentiam vel sibi aequalem quando non habebit G potentiam; signetur igitur instans, et illud instans non erit immediate post hoc instans, quia tunc duo instantia forent simul et immediata, quod est impossibile; igitur illud E mediante post hoc ergo distabit ab isto instanti per tempus medium, sed in quolibet instanti istius temporis Socrates habebit D potentiam vel sibi aequalem, ut prius argutum est; igitur similiter instanti medio ejusdem temporis habebit Socrates G potentiam vel sibi aequalem. Vel sequitur quod Socrates non continue fortificabitur quousque habuerit G potentiam: quia G potentia est potentia quam habebit Socrates post D, sicut D erit potentia quam ipse habebit post illam potentiam quam ipse jam habet, sicut ponit ista responsio impossibilis.

Et consimiliter arguitur quod quocumque tempore dato <113rb> sive instanti, [quod] necessario sequitur juxta responsionem quod sicut immediate post hoc, Socrates habebit G potentia. Sic probatur, consimili modo, quod immediate post hoc habebit quamcumque aliam potentiam similem majorem G. Et sic probatur quod Socrates immediate post hoc habebit tales potentias infinitas: quia in quocumque instanti habebit ipse aliam et aliam potentiam si ipse continue fortificetur; ergo cum immediate post hoc erunt infinita instantia elapsa et praeterita de novo, sequitur quod immediate post hoc Socrates habebit tales potentias

infinitas, sed Socrates in nulla proportione immediate post hoc erit fortior quam nunc est, quia nec in duplo nec in triplo, et sic de aliis proportionibus, et si sic; ergo nulla talis potentia per quascumque potentias distans a potentia Socratis est in aliqua proportione major potentia Socratis, et tamen quaelibet illarum mediarum est major potentia Socratis, quod est impossibile.

Ideo pro isto dicitur, quando arguitur quod tunc sufficit Socrates plus portare quam prius, quia ipse sufficit portare aliquid, et prius etiam sufficiebat portare aliquid, et numquam sufficiebat portare tantum sicut ipse nunc sufficit; ergo nunc sufficit plus portare quam prius, huic dicitur negando consequentiam et conceditur ut prius quod ipse non sufficit portare tantum quantum ipse sufficit portare, nec ipse sufficit portare tantum quantum ipse prius sufficit portare, quia sicut non est aliquod maximum quod ipse sufficit portare, sic nec est aliquod maximum quod ipse prius sufficiebat portare, nec aliquod<sup>184</sup> fuit maximum quod ipse prius sufficiebat portare. Et si arguatur quod A fuit maximum quod ipse sufficiebat portare, quia ipse sufficiebat portare A et non sufficiebat portare majus A; ergo A fuit maximum quod ipse sufficiebat portare, huic dicitur negando antecedens. Prius enim sufficiebat portare majus A: quia continue quando ipse portabat A sufficiebat ipse portare majus A, quia A non fuit maximum quod ipse sufficiebat portare, sed bene est concedendum quod Socrates numquam sufficiebat portare majus quam fuit A, et tunc arguendo ex isto non valet hujusmodi consequentia 'Socrates sufficiebat portare A, et Socrates non sufficiebat portare majus quam fuit A; ergo A fuit maximum quod Socrates sufficiebat portare', quia in nullo instanti fuit ita magnum quin Socrates sufficiebat portare majus illo.

Et si forte arguitur sic: Socrates prius sufficiebat portare majus A, et Socrates est ita fortis sicut numquam prius fuit vel fortior; ergo adhuc sufficit portare majus illo, vel sic: Socrates sufficiebat portare majus A, et Socrates non sufficiebat portare majus quam fuit A; ergo Socrates sufficiebat portare majus quam est A, ad haec dicitur quod neutra illarum consequentiarum valet. Prima non valet: quia licet Socrates sit ita fortis sicut prius fuit, sic est A gravius quam prius fuit in aliquo instanti in quo Socrates sufficiebat portare ipsum. Et secunda non valet: quia licet Socrates sufficiebat portare A et majus A, tamen nunc non est ita parvum vel ita leve sicut ipsum prius fuit quando Socrates sufficiebat portare A. Unde non sequitur 'pater tuus fuit aliquando major te, et ille non fuit major quam tu fuisti; ergo fuit major quam tu es'. Ponatur enim quod tu sis et prius per annum fuisti multo major quam umquam fuit pater tuus.

Ad secundam formam in principali, quando arguitur quod Socrates nunc sufficit portare plusquam prius sufficiebat, quia immediate post hoc ipse sufficit portare quam nunc sufficit; ergo eadem ratione ipse plus sufficit portare quam immediate ante <113va> hoc sufficiebat portare, huic dicitur negando istam consequentiam.

Et ad probationem, et ad alias consequentias in aliis terminis, dicitur quod illa similitudo non arguit quod haec consequentia sit bona licet illae sint bonae: quia in casu isto non est dare maximum quod ipse sufficit per se portare, sed est dare minimum quod ipse non sufficit per se portare, ibidem autem in consequentiis propositis est dare tale vel tale maximum.

Unde quando Socrates continue fortificatur est dare maximam quantitatem vel maximam potentiam quam ipse habet, et etiam in motu locali ubi Socrates continue recedit ab E puncto sicut ibidem ponebatur, dico quod continue erit dare maximam distantiam per quam distat Socrates in tali instanti vel in tali ab E puncto, sed sic non est in proposito. Non enim est dare maximum quod Socrates sufficit modo portare, sicut dictum est frequentissime; et ideo similitudo ista posita non facit ad valorem istius consequentiae.

---

<sup>184</sup> aliquod corr.: aliquid V

Ad tertiam formam et ultimam, quando arguitur quod Socrates nunc sufficit portare A, quia potentia Socratis est sufficiens ad portandum A, huic dicitur negando istam consequentiam.

Et ad argumentum, quando arguitur quod sic, quia illa requiritur ad portandum A, et nulla major requiritur; ergo illa sufficit, dicitur negando consequentiam, quia licet nulla potentia major requiratur ad portandum A, tamen ad portandum A requiritur potentia major illa, sicut si aliqua duo contingentia ad utrumlibet sint contradictoria, requiritur quod alterum illorum sit verum, nullum tamen illorum requiritur esse verum; sequitur ergo quod aliquod illorum sit verum et nullum illorum sequitur esse verum; et sic ad portandum A requiritur potentia major potentia Socratis et nulla potentia major potentia Socratis requiritur ad portandum A nisi tu volueris omnino cavillatorie dicendo quod potentia major potentia Socratis requiritur ad portandum A, quia potentia caeli et primae causae, et sic de talibus. Sed notum est quod haec responsio est minus cavillatoria, quia nulla talis potentia ibi requiritur tamquam agens immediatum, sed tamquam causa mediata conservans causam immediatam. Et ideo loquendo juxta hoc quod est ad propositum argumentum, dicitur ibidem quod requiritur potentia major, sicut prius dicebatur, et nulla potentia major requiritur, sicut satis probant argumenta prius facta ad istam partem.

Et ideo quando arguitur sic “haec potentia requiritur ad portandum A, et nulla major requiritur; ergo haec potentia sufficit”, dicitur negando consequentiam, quia oppositum sequitur, quia si aliqua talis potentia requiritur ad portandum A, et nulla major requiritur ad portandum A, sequitur quod ipsa non sufficit per se portare A per tempus, quia tunc ista minor erit potentia quam aliqua quae sufficit per se portare A; ideo et cetera.

Praeterea arguitur ad principale sic: signetur aliquod grave quod sit majus quam Socrates sufficit portare in magna proportione, et remittatur gravitas illius quousque Socrates sufficiat portare in duplo gravius illo, et remittatur illud continue per totam istam horam quae sit A, et sit continue Socrates aequae fortis praecise sicut nunc est. Et arguitur tunc sic: Socrates jam non sufficit portare A, et aliquando sufficiet portare A; ergo aliquando incipiet sufficere portare A, quia nunc non incipit; signetur ergo instans, et sit illud B, tunc in B instanti Socrates sufficiet portare A vel non.

Si non, contra: tunc incipiet sufficere portare A ipso non fortificato; ergo tunc Socrates erit sufficiens portare A.

Consequentia arguitur: quia si Socrates tunc inciperet per se portare A ipso non fortificato; ergo tunc Socrates erit sufficiens portare A. Ponatur tunc quod ita cito incipiet Socrates portare A sicut erit sufficiens ad portandum A et numquam prius, vel quod ipse portabit A ita cito sicut ipse erit sufficiens ad portandum A, et tunc arguitur: quia in B instanti Socrates incipiet portare A; ergo tunc erit sufficiens ad portandum A, quia sit ita cum casu quod A continue descendat quousque Socrates per se supportabit A. Et arguitur tunc sic: in B instanti A non descendet, quia tunc sequitur quod foret dare maximum instans intrinsecum motus, quia tunc descenderet A et non post illud instans, quia continue post illud instans quiescet, quia continue post erit Socrates satis sufficiens ad portandum A et ita cito portabit A sicut erit sufficiens ad portandum A; igitur et cetera. Et arguitur tunc sic: continue ante B instans descendet A, et non in B instanti, et tunc erit A grave extra locum suum naturalem, et in medio in quo sufficeret satis moveri si non impediretur ab aliquo alio quam a medio vel ejus resistentia intrinseca; ergo tunc A impediretur ab aliquo quam a medio vel ejus resistentia intrinseca, et non impeditur ab alio quam a Socrate vel ejus potentia; ergo Socrates tunc portabit ipsum.

Consequentia patet ex significatione istius termini ‘portare’. Ponitur enim in casu quod medium non impediatur ipsum a descensu, sicut est satis possibile in multis casibus, quia deducatur resistentia medii sic quod totum medium moveatur versus eandem differentiam

positionis versus quam movetur tale grave vel quod medium continue dividatur per aliquod grave ante ipsum vel aliquo tali modo satis bene potest deduci resistentia medii quod etiam ponitur in casu posito, et tunc sequitur quod in B instanti Socrates portabit A ceteris paribus, et si sic; ergo Socrates sufficet tunc portare A.

Ideo si conceditur quod in casu isto, erit dare primum instans in quo Socrates sufficet per se portare A et fiat semper locutio de portare per se, arguitur tunc sic: Socrates non sufficet portare A in B instanti, quia si sic, sequitur ergo ista conclusio quod aliqua sunt duo aequalia praecise quorum unum est aequae bene applicatum ad Platonem sicut aliud ad Socratem, et Socrates et Plato sunt aequae fortes praecise ad portandum talia, et tamen Socrates sufficit portare A quod sibi applicatur et Plato non sufficit portare B quod sibi applicatur consimiliter omnino, nec etiam Socrates sufficet portare B licet aequae bene applicaretur sibi sicut jam applicatur sibi A.

Quod haec conclusio sit impossibilis satis arguitur sic: quia ex quo illa duo A et B sunt aequae gravia praecise ceteris paribus, quae ergo foret ratio quare Socrates sufficeret portare A et non sufficeret portare B? Non videtur quod posset aliqua ratio assignari nec bene potest esse.

Et quod ista conclusio sequatur arguitur sic: ponatur quod Socrates et Plato sint aequae fortes praecise, et sic de omnibus particulis ibidem positis in parte affirmativa illius conclusionis pro parte negativa conclusionis, posito quod B grave per medietatem horae descendisset continue acquirendo majorem gravitatem et majorem ita quod in hoc instanti sit ipsum B ita grave sicut nunc est A, et quod ipsum post hoc erit gravius quam nunc est, tunc, isto posito, sequitur quod nec Socrates nec Plato est sufficiens ad portandum B.

Probatio: quia quantumcumque Plato bene in hoc instanti applicetur ad B grave ipsum tamen B descendet sicut immediate ante hoc descendebat.

Probatio: quia <114ra> aliter sequitur quod solummodo requiesceret per instans, ut puta per B, quia continue ante B descendebat, et continue post B descendet; ergo si in B instanti non descendet, tunc solummodo quiescet per instans.

Quod arguitur sic: si in illo instanti sufficet Socrates vel Plato portare B, et immediate post hoc non sufficet aliquis illorum portare B, ceteris paribus, sequitur quod B est maximum grave quod aliquis istorum sufficet portare, et quod foret dare semper primum instans et ultimum in quo sufficeret portare hoc et illud, et sic de aliis, quod est oppositum prius positi. Ideo sequitur quod nullus istorum sufficit portare B; ergo eadem ratione nec A.

Similiter arguitur quod Socrates non sufficit in B instanti portare A: quia Socrates in B instanti non est magis sufficiens quam prius fuit, quia gravitas ipsius A continue remittetur, sed si gravitas ipsius A non remitteretur ceteris paribus, tunc Socrates non sufficeret portare A; ergo nunc non sufficit.

Consequentia patet, et assumptum probatur, scilicet quod Socrates non est magis sufficiens ad portandum A propter hoc quod gravitas ejus remittetur: quia tunc sequitur quod si gravitas ipsius A velocius remitteretur quam jam remittitur, [quod] Socrates tunc sufficet magis portare A quam jam sufficet, tunc sequitur quod Socrates sufficit portare majus grave A cujus gravitas velocius remittetur quam nunc remittitur gravitas A, quod est impossibile, quia tunc sequitur quod Socrates prius fuit magis sufficiens portare A quam in B instanti, quia quacumque velocitate finita remittetur aliqua major gravitas quam sit A velocius quam nunc remitteretur A, adhuc non immediate post hoc erit illa ita modica sicut immediate ante hoc fuit gravitas tota ipsius A; igitur si Socrates sufficeret portare illam gravitatem majorem, quae tamen velocius remittetur, sequitur quod immediate ante B ipse sufficiebat portare A, quod erat probandum.

Ideo in principio ad hoc argumentum, sicut in quocumque alio consimili ubi nulla pars potentiae acquiritur subito vel deperditur in agente nec in passo et ubi agens debilitatur in agendo naturaliter, dicitur quod non est dare primum instans in quo Socrates vel Plato, et sic de aliis, erit sufficiens ad portandum per se A per tempus, vel ad movendum per se per

tempus, sed Socrates incipit vel incipiet per remotionem de praesenti et positionem de futuro esse sufficiens ad portandum A per tempus per se, sic quod nunc non est sufficiens portare A per se et immediate post hoc erit sufficiens portare A. Et ita dicitur quod in illo casu in B instanti Socrates non erit sufficiens et immediate post istud erit sufficiens ad portandum A.

Ad argumentum in oppositum, quando arguitur quod in B instanti Socrates portabit A, posito quod Socrates portabit A ita cito sicut erit sufficiens ad portandum A, huic dicunt multi concedendo illud, scilicet quod in B instanti Socrates portabit A.

Et quando arguitur etiam quod Socrates tunc sufficet portare A, huic dicitur etiam quod hoc de virtute sermonis est verum, sed hoc non est ad propositum argumenti: quia in B instanti non sufficet portare A per tempus per se. Unde tunc non sequitur quod portabit A; ergo Socrates sufficet portare A per se per tempus, sed solummodo sufficet portare A per instans et non per tempus.

Et si arguitur quod non, sicut arguitur in principali reductione hujus argumenti, quia tunc sequitur ista conclusio ibidem proposita quod aliqua duo sunt aequaliter gravia ceteris paribus, et Socrates <114rb> sufficit portare unum illorum et non sufficit portare alterum, hic dicunt quod utrumque istorum, tam A quam B, Socrates sufficit portare per instans, non tamen per tempus. Et idem conceditur de quocumque gravi cujus potentia est aequalis potentiae Socratis, scilicet quod Socrates sufficit portare illud per instans et non per tempus.

Et quando arguitur quod aliquid solum quiescet per instans, huic etiam dicunt concedendo conclusionem, et hoc est satis possibile, quia numquam movetur aliquid cum resistentia nisi ex proportione majoris inaequalitatis. Ideo si potentia motiva et resistentia sunt aequales, et si jam incipiat ista potentia motiva esse major illa resistentia, tunc ceteris paribus mobile non movetur, sed immediate post instans quod est praesens ipsum movebitur, et forte immediate ante illud instans ipsum movebatur.

Et si arguitur quod hoc mobile in isto instanti movetur, quia nunc se habet aliter quam prius, et forte tangit aliquem punctum quem immediate ante illud instans tangebatur et quem immediate post hoc tanget, et omnes puncti quiescunt continue; ergo ipsum movetur, huic dicitur quod non valet consequentia, sed adhuc requiritur quod se haberet in proportione majoris inaequalitatis ad suam resistentiam; et ideo non sequitur quod tunc moveretur illud mobile, sed forte ista resistentia fert ipsum per instans solum, sicut solet communiter dici.

Verumtamen melius potest dici quod nihil sufficit portare A nisi quod sufficit portare A per tempus, et quod impedire aliquid per instans solum ne descendat in eodem instanti non est portare illud, sed impedire aliquid per tempus a descensu ne descendat est portare illud, et sic supportando impediatur illud ne descendat. Et juxta vulgarem modum loquendi pondus non portatur nisi impediatur per tempus a descensu sensibili, quia, vulgariter loquendo, dicitur quod Socrates non portat A nisi per tempus sensibile impediatur A ne[c] descendat, et nisi appareret per tempus sensibile quod ipse portaret A, quia quantumcumque modicum tempus est sensibile aut per se aut per accidens. Ideo melius dicitur quod impedire aliquid a descensu per tempus notabile est portare illud, et sic loquendo dicitur, ut prius, quod non est dare primum instans in quo Socrates erit sufficiens ad portandum A per se, sed est dare ultimum instans in quo erit insufficiens ad portandum A per se antequam erit sufficiens ad portandum A per se, et sic de talibus aliis difficultatibus faciendis quas non sufficit Socratem facere nec immediate post instans quod est praesens sufficet facere, et aliquando sufficet, et addatur sibi illa particula ultimum in quo erit insufficiens antequam erit sufficiens, quia forte instans non erit ultimum similiter instans in quo erit insufficiens, sed infinitus post idem instans erit ipse insufficiens sicut ipse erit posito quod post illud instans aliquando debilitabitur quousque fuerit non debilis sicut ipse modo est vel si aliquando fuit et cetera.



Et tunc ad argumentum, quando arguitur quod in B instanti Socrates erit sufficiens portare A, quia tunc incipiet portare, dicitur quod non valet ista consequentia. Et causa est quia licet Socrates tunc incipiet portare A, hoc tamen est quia continue A debilitabitur, quia si non debilitaretur ulterius, tunc non inciperet Socrates portare A, sed Socrates non magis vel minus est sufficiens portare A licet A debilitaretur, quia, licet A debilitetur, Socrates non est fortior vel debilior. Ideo non est solum ex sufficientia seu <114va> potentia sua quod ipse tunc incipiet portare A, sed ex debilitatione ipsius A; ideo non valet consequentia facta ‘tunc incipiet portare A; ergo tunc erit sufficiens portare A’.

Et si arguitur quod illud repugnat responsioni prius positae, ponitur enim ibidem quod Socrates sit insufficiens portare tantum pondus, quia ipso pondere existente tanto ipsum applicatum ad Socratem tantum debilitaretur Socrates quod ipse non portaret illud, si tamen Socrates non debilitaretur per actionem illius ponderis in Socrate cum foret sibi applicatum Socrates satis sufficeret illud portare, quia modo potentia portativa illius Socratis est aequalis potentiae motivae illius ponderis; ergo, ut vult ista responsio, Socrates est insufficiens, quia ipse debilitabitur; ergo eadem ratione ponetur hic quod Socrates est sufficiens, quia A debilitabitur, cuius oppositum est acceptum. Sed huic dicitur quod non valet ista consequentia: quia Socrates in principio non ponebatur insufficiens propter fortitudinem ponderis, sed propter passionem quam infert sibi illud pondus, quam passionem Socrates non sustineret supportando illud idem pondus; ideo non sequitur, licet ibi ipse foret insufficiens propter debilitatem sibi illatam ab ipso pondere, quod hic foret sufficiens propter debilitatem ponderis ex natura ponderis vel aliunde ab aliquo extrinseco, sed si forte sufficeret tantum modo debilitare A gravitatem sicut ipse nunc debilitatur ab aliquo intrinseco vel extrinseco aliquo a Socrate, bene sequitur quod Socrates sufficeret modo vel in B instanti portare A, sed illud esset falsum; ideo non procedit argumentum, sicut nec priora et cetera.

## <Nonum sophisma>

### <Neutrum oculum habendo tu potes videre>

<116rb> Neutrum oculum habendo tu potes videre.

Quod sic arguitur: aliquem oculum habendo tu potes videre, et nullus est oculus quin illum non habendo tu potes videre; ergo quemlibet oculum non habendo tu potes videre, et ultra; igitur neutrum oculum habendo tu potes videre.

Similiter: neutrum oculum habens tu potes videre; igitur et cetera.

Consequentia patet, et antecedens arguitur sic: lignum potes videre, et omne lignum est neutrum oculum habens; igitur neutrum oculum habens potes videre.

Similiter ad idem arguitur: aliquorum oculorum neutrum habens potes videre, quia istorum oculorum neutrum habens potes videre, demonstratis duobus oculis canis tui sive cati; ergo aliquorum oculorum neutrum habens potes videre.

Ista consequentia patet, et ex consequente isto arguitur quod si aliquorum oculorum neutrum habens potes videre; ergo neutrum oculum habendo potes videre.

Similiter: neutrum oculum habens potes aliquid videre; ergo neutrum oculum habendo potes videre aliquid.

Consequentia patet, et antecedens arguitur: quia Antichristus potest videre aliquid, et Antichristus est neutrum oculum habens, cum neutrum oculum habeat, quia Antichristus non est, ut supponitur; ergo neutrum oculum habens potest videre, et ultra; ergo neutrum oculum habendo potest aliquid videre.

Similiter: tu potes videre sine aliquo oculo.

Quod sic arguitur, et ponitur quod tu habeas duos bonos oculos quorum utroque per se potes videre. Et arguitur tunc sic: tu potes videre, et nullus oculus requiritur tibi ad hoc ut tu videas; ergo neutro oculo indiges ad videndum, et sine illo quo non indiges ad videndum potes videre; ergo sine oculo potes videre, et si sic; ergo neutrum oculum habendo potes videre.

Similiter: neutro oculo indiges ad videndum; ergo nec dextro oculo indiges ad videndum, nec sinistro oculo indiges ad videndum; ergo non habendo dextrum oculum potes videre, et eadem <116va> ratione neutrum oculum habendo potes videre. Ideo forte conceditur sophisma.

Sed arguitur quod sophisma sit falsum: quia oppositum sophismatis est verum; ergo et cetera.

Antecedens sic arguitur: haec est vera 'aliquem oculum habendo tu potes videre', et hoc est oppositum sophismatis; ergo et cetera. Ponatur enim quod istae duae propositiones praecise primarie significant.

Et tunc quod ista particularis sit vera satis patet: quia dextrum oculum habendo potes videre; ergo aliquem oculum habendo potes videre.

Et quod ista particularis contradicat sophismati arguitur: sophisma est una universalis negativa de consimilibus terminis omnino sicut est illa particularis affirmativa, et omnes termini sunt univoci et praecise idem significantes, et pro eisdem supponunt in una propositione et in alia; ergo contradicunt.

Similiter arguitur quod sophisma sit falsum: quia sequitur 'neutrum oculum habendo tu potes videre; ergo non potes videre habendo aliquem oculum'.

Consequentia patet: ex opposito enim sequitur oppositum, quia sequitur 'aliquem oculum habendo potes videre; ergo potes videre habendo aliquem oculum, et e contra; ergo alterum oculum habendo potes videre', sed hoc contradicit sophismati, ut prius argutum est; ergo et cetera.

Similiter: sequitur 'neutrum oculum habendo potes videre; ergo licet nullum oculum habeas potes videre'.

Sed arguitur quod non: quia si nullum oculum haberes, non posses videre. Posito enim quod non est possibile aliquem non habentem oculum videre, nec quod aliquis qui nunc est non habens oculum aliquem possit videre nec habere aliquem oculum, quia deduco miracula, et tunc notum est quod hoc esset ponendum quod nullus homo qui est non habens oculum possit habere aliquem oculum: quia si talis posset habere aliquem oculum, hoc non foret naturaliter, sed miraculose. Ideo deductis miraculis sequitur ‘si tu nullum oculum haberes, non posses videre’, sed ex sophismate sequitur, ut prius argutum est, quod licet nullum oculum haberes, adhuc posses videre; ergo sophisma falsum.

Ideo dicitur ad sophisma negando ipsum.

Et quando arguitur quod sophisma sit verum, quia aliquem oculum non habendo potes videre, et nullus est oculus vel potest esse oculus quin illum non habendo non potes videre; ergo quemlibet oculum non habendo potes videre, conceditur consequentia.

Et quando arguitur ex consequente “igitur nullum oculum habendo tu potes videre”, huic dicitur negando consequentiam illam. Arguitur enim ibidem ab universali affirmativa ad universalem negativam quae quodammodo sibi contrariatur licet non omnino, sicut communiter dicitur de contrariis. Nam istae duae universales affirmativae non sunt eadem omnino ‘quemlibet oculum habendo potes videre’ et ‘quemlibet oculum non habendo potes videre’, nec una istarum formaliter sequitur ex altera illarum, sed illae duae satis bene stant simul posito quod habeas duos bonos oculos, sicut prius positum est; et ideo, licet istae duae propositiones ‘quemlibet oculum non habendo potes videre’ et ‘neutrum oculum habendo potes videre’ non repugnant formaliter tamquam vere contrariae, tamen repugnant simpliciter, quia ex una illarum formaliter sequitur oppositum alterius, licet tamen non forte tali contrarietate quae est inter contraria proprie dicta, cuiusmodi sunt universalis affirmativa et universalis negativa quae sibi contrariantur. Sequitur enim ‘neutrum oculum habendo potes videre; ergo non potes videre habendo aliquem oculum’, et tunc sequitur ex isto ‘si non potes videre habendo aliquem oculum; ergo tu non potes videre’, quae satis manifeste repugnant huic universali affirmativae ‘quemlibet oculum non habendo potes videre’; ideo et cetera.

Ad consequentiam secundam, tertiam et quartam, quibus arguitur ad sophisma quod neutrum oculum habens potes videre, dicitur negando quamlibet talem consequentiam qua concluditur conclusio illa, quia illa conclusio est impossibilis, quia ejus oppositum est necessarium. Haec enim est necessaria ‘aliquem oculum habendo tu potes videre’, et in qualibet consequentiarum praedictarum positarum ibidem ad istam conclusionem concludendam arguitur tamquam ab inferiori ad superius negatione praeposita. Primo enim arguitur sic: lignum potest aliquid videre, et omne lignum est neutrum oculum habens; igitur neutrum oculum habens potest videre. Sic enim arguendo contingit turpissime arguere quod nullus homo est animal: quia asinus est animal, et asinus est nullus homo; ergo nullus homo est animal. Tertia illarum consequentiarum est haec ‘aliquorum oculorum neutrum habens potes videre; ergo neutrum oculum habens potes videre’: arguitur enim ibidem tamquam ab uno contradictorio ad reliquum. Quarta illarum est haec ‘Antichristus neutrum oculum habet, et Antichristus est neutrum oculum habens, et Antichristus potest videre; ergo neutrum oculum habens potest videre’, ista non indiget nunc negari, sicut nec aliqua duarum consequentiarum praecedentium, quia nulla est evidentia in ipsa nec in aliqua illarum.

Ad quintam, quando arguitur quod tu potes videre sine oculo, negatur ista propositio tamquam impossibilis.

Et quando arguitur quod sic, quia nullus oculus requiritur ad hoc ut tu videas, posito quod tu habeas duos oculos satis bonos, huic dicitur concedendo istam propositionem, et conceditur quod nullo oculo indiges ad videndum, quia nec dextro nec sinistro.

Et quando arguitur “ergo tu potes videre sine aliquo oculo”, huic dicitur negando consequentiam, sed sequitur quod sine oculo tu potes videre, et hoc est concedendum et verum, quia sine isto oculo tu potes videre, et sine isto oculo tu potes videre, et sic de singulis, quocumque demonstrato, supposito semper quod tu habeas duos bonos oculos. Si tamen non haberes nisi unum oculum tantum, tunc non posses videre sine isto oculo et cetera.

Sed forte contra hanc responsionem arguitur: quia si indiges aliquo oculo ad videndum; ergo sine isto oculo non potes videre, sed tu indiges aliquo oculo ad videndum; ergo sine oculo non potes videre.

Similiter sic: tu indiges aliquo oculo ad videndum; ergo tu indiges aliquo oculo ad videndum sine quo tu potes videre vel indiges oculo ad videndum sine quo tu non potes videre, sed non indiges oculo ad videndum sine quo tu potes videre; ergo indiges oculo ad videndum sine quo tu non potes videre; ergo sine <117ra> aliquo oculo non potes videre.

Similiter sic: tu indiges oculo ad videndum; ergo indiges oculo ad videndum quo indiges ad videndum aut indiges oculo ad videndum quo non indiges ad videndum, sed non indiges oculo quo non indiges ad videndum; ergo indiges oculo ad videndum quo indiges ad videndum, sed si aliquo oculo indiges ad videndum, sine illo non potes videre; ergo non sine aliquo oculo potes videre.

Ad haec respondetur negando quamlibet talem consequentiam ‘tu indiges aliquo oculo ad videndum; ergo sine illo non potes videre’. Nam hoc consequens significat quod sine oculo quo indiges ad videndum non posses videre, sed hoc est falsum, quia nullus est oculus quo indiges ad videndum.

Et quando arguitur ulterius sic “tu indiges oculo ad videndum; ergo aut indiges oculo ad videndum sine quo potes videre vel indiges oculo ad videndum sine quo non potes videre”, huic potest dici negando divisionem illam pro utraque parte sui, quia utraque pars istius divisionis implicat falsum, quia implicat quod aliquo oculo indiges ad videndum, sed hoc est falsum, ut prius probatum est, quia nec oculo dextro nec sinistro indiges ad videndum; ideo nullo oculo indiges ad videndum. Et ideo non indiges oculo sine quo potes videre nec indiges oculo sine quo non potes videre.

Et consimiliter diceretur quod non indiges oculo ad videndum quo indiges ad videndum nec indiges oculo ad videndum quo non indiges ad videndum: quia illa implicat quod aliquo oculo indiges ad videndum.

Consequens falsum: quia nullo oculo certo indiges, et si nullo oculo certo indiges; ergo nec indiges oculo quo indiges nec oculo quo non indiges, et tamen tu indiges aliquo oculo, sicut promitto tibi denarium, et tamen nec promitto tibi denarium quem tibi promitto nec promitto tibi denarium quem tibi non promitto, nec est illa divisio per contradictoria et immediata, sicut nec haec ‘Socrates est homo albus qui currit vel homo albus qui non currit’. Ista enim propositio foret falsa, quia utraque pars illius disjuncti forte implicat falsum, et ita est in proposito; ideo et cetera.

Sed melius et magis sophisticè dicitur concedendo illam divisionem, et dicitur quod indiges oculo ad videndum quo non indiges ad videndum: quia indiges oculo ad videndum, et nullus est oculus quo indiges ad videndum; et tu promittis mihi bovem quem mihi non promittis; et tu indiges oculo ad videndum sine quo tu potes videre, et sic de talibus.

Et si dicitur quod omnes aliae propositiones et quaelibet illarum implicat contradictoria, quia haec propositio ‘promitto tibi denarium quem tibi non promitto’ significat quod promitto tibi denarium et illum denarium quem promitto tibi non promitto, et si ista propositio ‘tu indiges oculo ad videndum quo non indiges ad videndum’ significat quod indiges oculo ad videndum et quod isto oculo non indiges ad videndum quo indiges ad videndum, et sic de talibus, huic dicitur quod non, sicut nec ista propositio ‘promitto tibi denarium quem habeo in manu mea’ significat quod promitto tibi denarium et habeo illum denarium in manu mea quem tibi promitto, quia forte nullus est talis <117rb> quem tibi promitto, posito quod habeam multos

denarios in manu mea dextra vel unum denarium in manu mea dextra et alium in sinistra, sed ista propositio 'promitto tibi denarium quem habeo in manu mea' significat quod promittitur tibi denarius quem habeo in manu mea vel qui est in manu mea, et hoc est forte verum.

Et consimiliter haec propositio 'promitto tibi denarium quem tibi non promitto' significat quod promittitur tibi denarius a me qui denarius non promittitur tibi a me, et hoc forte est verum, vel saltem possibile, scilicet quod tibi promittitur denarius a me licet nullus denarius promittitur tibi ab aliquo vivente.

Et consimiliter per omnia ad alias propositiones prius positas.

Sed incidentaliter arguitur contra hanc propositionem 'promitto tibi denarium quem tibi non promitto': quia ponatur quod promittam tibi denarium, et sit ita gratia exempli quod non aliunde teneam tibi in aliquo debito nisi ex hac promissione tantum, et quod solvam tibi in A instanti B denarium. Isto posito, tunc ceteris paribus, post A instans non tenebor tibi in aliquo denario, et continue ante tenebor tibi; ergo si aliunde non conveniamus nisi per solutionem B denarii in A instanti solvam tibi B denarium quem teneor tibi solvere. Si conceditur conclusio, tunc sequitur quod jam promitto tibi B denarium: quia aliunde non teneor tibi in aliquem denarium; igitur jam teneor solvere B denarium, quia B jam promitto, quod repugnat illi propositioni positae 'promitto tibi denarium quem non promitto', quia tunc promitto tibi B denarium quem tibi promitto.

Ideo dicitur quod non teneor solvere B denarium.

Contra: in A instanti solvam tibi denarium quem teneor tibi solvere, et non solvam tibi aliquem denarium, tunc nisi B, ut pono; igitur teneor tibi solvere B.

Consequentia patet, et antecedens arguitur: quia in A instanti solvam tibi debitum, quia in A instanti satisfaciam in solvendo tibi denarium, et amplius non tenebor tibi; igitur in A instanti solvam tibi debitum, sed tunc non solvam tibi aliquid nisi B; ergo tunc debeo tibi B.

Similiter: jam teneor tibi; ergo in aliquo debito teneor tibi, et in A instanti satisfaciam, et amplius non tenebor tibi; ergo tunc solvam tibi debitum, et nihil solvam tibi tunc nisi B; ergo tunc debetur tibi B.

Pro isto dicitur quod non solvam tibi debitum: quia nihil debetur tibi, nec tunc solvam tibi denarium quem teneor tibi solvere, quia nullus est talis quem teneor tibi solvere.

Et quando arguitur quod sic, quia satisfaciam tibi pro hac promissione solvendo B denarium; igitur tibi debetur B denarius ex hac promissione, dicitur negando consequentiam. Ex hac enim promissione debetur tibi denarius, nullus tamen denarius debetur tibi ex hac promissione, nec aliquid est tibi debitum ex hac promissione; et ideo conceditur quod jam teneor tibi in aliquo debito, et tamen numquam solvam tibi illud debitum, quia nihil est illud, nec aliquid est illud, sed satisfaciam tibi omne debitum solvendo tibi B denarium; et ideo sicut conceditur quod promitto tibi denarium quem non promitto tibi, ita etiam conceditur quod indigeo oculo ad videndum quo <117va> non indigeo ad videndum. Ad videndum <enim> requiritur oculus qui non requiritur ad videndum: quia nullus oculus requiritur ad videndum, tamen ad videndum requiritur oculus, sicut prius dictum est; ideo et cetera.

Aliter arguitur ad sophisma sic: tu potes videre aliquid quod non potes videre cum aliquo oculo; ergo neutrum oculum habendo potes videre.

Consequentia patet, et antecedens arguitur: quia tu potes videre ita modicam quantitatem et ita modicum corpus sicut est aliqua pars proportionalis tui, et tu non potes videre hoc cum aliquo oculo; ergo et cetera.

Consequentia patet, et antecedens probatur pro prima parte, scilicet quod tu potes videre ita modicam quantitatem sicut est aliqua pars proportionalis tui. Ponitur enim gratia argumenti quod tu videas oculum tuum vel digitum tuum vel aliquid aliud quicquid fuerit non est cura, et sit illud A. Tunc arguitur sic: tu vides ita modicam partem sicut est aliqua pars A, et nihil est

minus vel potest esse minus quam est aliqua pars A; ergo tu vides ita modicum sicut est aliqua pars tui.

Consequentia patet, et etiam minor, et major ejusdem arguitur, scilicet quod tu videas ita modicum sicut est aliqua pars proportionalis A: quia si non, stet oppositum, et detur aliqua pars A quae sit minor quam sit aliquid quod tu videas, et sit illa pars B. Et arguitur tunc sic: tu non vides B nec aliquam partem aequalem B, et B est pars quantitativa tui; igitur nihil vides.

Consequentia haec tamen arguitur sic: quia si non aliquam partem aequalem ipsi B vides; ergo non vides aliquid quod est compositum aequaliter ex duabus partibus aequalibus ipsi B, nec aliquam partem quae est aequalis alicui tali composito praecise, scilicet quod est compositum ex duabus partibus aequalibus ipsi B, quia si vides aliquam talem partem, vides aliquam partem illius partis, et utramque medietatem illius partis, quia vides istam partem habere duas medietates et esse divisibilem in duas medietates, sicut est de omni quod videtur, quia nihil quod videtur apparet tibi indivisibile.

Si tamen hoc conceditur, arguitur quod hoc sit falsum: quia si ponatur quod sit C. Et arguitur tunc sic: C apparet tibi indivisibile, ponatur quod C incipiat augeri seu majorari et majoretur C continue per horam incipientem ab hoc instanti. Et arguitur tunc quod in hoc instanti C incipit apparere divisibile: quia si non, detur ergo aliquod instans istius horae in quo non apparet esse divisibile.

Et arguitur tunc quod sic: quia quocumque instanti dato, in isto instanti aliqua pars erit tanta sicut nunc est totum C; ergo in isto instanti ista pars apparebit sicut nunc apparet totum C cum aliis paribus, et pono cetera paria quantum est possibile. Et arguitur tunc sic: in isto instanti aliqua pars A apparebit sicut modo apparet totum C, sed tunc non apparebit illa pars C totum C; ergo tunc apparebit esse aliqua pars illius C, et si sic, sequitur igitur quod tunc apparebit C habere duas partes; ergo tunc C apparebit esse divisibile, sed omne quod apparet esse divisibile apparet esse divisibile in duas medietates; ergo tunc apparebit habere duas medietates, sed tunc non erit aliqua medietas C tanta <117vb> sicut C fuit in principio hujus horae vel sicut nunc est C, qua ratione tunc apparebit pars minor quam jam est C jam apparet aliqua pars minor quam jam est C. Et consimiliter arguitur per approprinquationem oculi versus C vel e contra quod incipit apparere divisibile quamvis nunc apparet indivisibile; et ex isto sequitur quod nulla pars rei visibilis apparet indivisibilis.

Sed forte sustinendo quod sic, dicitur quod in priori casu non incipit C apparere esse divisibile, et conceditur quod licet ista pars illius C majoretur continue per totam istam horam forte vel saltem per magnam partem illius, illa pars non apparebit esse pars C sicut nec in quacumque argumentatione apparet res continue major et major, licet ipsa continue sit major quam prius. Et causa est quia pars apparet esse tanta sicut ipsa tota res, et non solum una pars apparet esse tanta sicut ipsa tota res, sed infinitae partes sunt quarum quaelibet apparet esse tanta sicut et totum in tali casu, sed non infinitae, immo nullae duae apparent tantae sicut et totum, quia nullae duae quarum utraque apparet tanta sicut et totum apparent esse duae distinctae partes, sed apparent esse una et eadem quantitas, scilicet totum corpus Socratis; et ideo non apparent tantae, quia non apparent esse plures partes, sed illud totum, quia non apparet quod ibi sunt multa aequalia ita magna sicut totum, sed unum totum quod est illud totum. Partes enim illae, licet sint diversae et distinctae, non tamen apparent esse diversae nec distinctae: quia tantum communicant ad invicem quod pars illa cum qua non communicant non est ibidem sensibilis; ideo et cetera.

Et sic forte per omnia dicitur de ipso C in casu posito de ipso C quod non in principio hujus horae incipit C apparere esse quantum vel divisibile: quia licet continue post primum instans illius horae erit ita quod infinitae partes C apparebunt, tamen in nullo instanti illius horae erit ita quod aliquae partes C apparent esse partes C, sed quaelibet pars quae apparet esse apparet esse totum C. Et haec responsio est satis probabilis, difficile tamen foret experiri ipsam fore veram.

Et ideo arguitur contra istam responsionem aliter: data illa responsione, sequitur quod possibile esset quod tu videres mille homines, et tamen non videres aliquem hominem nec aliquam hominem, et breviter non videres aliquod animal rationale, nec aliqua duo animalia nec tria, et sic de aliis, sed paucissima animalia quae tu videres forent mille homines, quod videtur esse impossibile et absurdum.

Et quod hoc sequatur ex ista responsione consequenter respondendo arguitur sic: quia ponatur quod in aliqua distantia appareat tibi unus exercitus mille hominum, in qua distantia non sufficias distinguere et videre minorem numerum quam sit numerus mille hominum. Tunc, isto casu posito, sequitur ista conclusio posita, scilicet quod tu vides ibi mille homines et nullum hominem nec aliquam hominem vides nec aliquos homines nec aliquas, et sic deinceps usque ad mille, quia pauciores non potes distinguere ab aliis in tali distantia, ut ponitur in casu; ergo et cetera.

Et quod casus sit possibilis satis apparet per istam responsionem datam. Potest enim ille exercitus removeri quousque appareat <118ra> indivisibilis omnino et cetera.

Similiter: sequitur quod quantumcumque bene apponatur visui tuo aliquod coloratum album secundum aliquam superficiem planam et politam [quod] non vides quamlibet partem extremam illius colorati terminatam ad istam superficiem tibi objectam, et tunc signata parte una directa objecta oculo tuo in ista superficie non videres eam, quod non videtur verum.

Ideo forte dicitur, sicut est dicendum, quod nihil apparet indivisibile nec aliquid potest apparere indivisibile, licet nullum argumentum factum ad hoc cogat ad hoc dicendum, sed quia verisimiliter est haec pars quam prior, potest autem satis bene concedi ista conclusio proposita et quaelibet consimilis, scilicet quod aliquis videt mille homines et cetera, loquendo semper de per se videre, quod est videre aliquid per intensionem sibi appropriatam et distinctam per quam solam una res visa ab alia revisa distinguitur: est enim hoc verum.

Et consimiliter concedendum <est> quod tu vides mille homines et nullum hominem vides, et quod vides viginti quartaria frumenti et tamen nullum granum vides, et sic de talibus: quia notum est quod in quacumque distantia qua vides tantum cumulum frumenti vel lapidum tu distinguis per visum unum granum<sup>185</sup> vel lapidem ab alio grano vel lapide, loquendo tamen de videre communiter, quod est recipere intensionem rei visibilis, ipsam rem visibilem non per se, sed cum multis aliis juxta positis actualiter comprehendendo, ipsam non distinguendo ab aliis, sed indistincte comprehendendo, conceditur quod nihil est ita modicum quin minus eo possit videri et videtur, sed non potest videri ita modicum sicut est aliquid nec potest videri ita modicum sicut potest videri aliquid, quia nihil est ita modicum nec aliquid potest esse ita modicum sicut est aliquid quod potest videri.

Et ideo quando arguitur in principio quod tu potes videre ita modicum sicut est aliqua pars proportionalis tui, hoc est negandum tamquam impossibile; et ideo est illa minor vera, scilicet quod cum nullo oculo potes videre ita modicum sicut est aliqua pars proportionalis tui.

Et non probatur conclusio: quia antecedens est impossibile; ideo et cetera.

Sed forte arguitur contra aliam responsionem datam, quae ponit quod nihil est ita modicum quin potes videre minus eo: quia ex ista responsione sequitur quod ita diu videbis millesimam partem A visibilis sicut tu videbis A visibile, et e contra, posito quod A sit unum visibile quod disparebit per partem post partem quousque non videatur aliqua pars illius, quia quandocumque videbis A videbis medietatem A, et quartam partem A, et octavam partem A, et sic de omnibus talibus partibus proportionalibus A, quia juxta hanc responsionem sequitur quod si tu vides aliquid tu vides medietatem illius. Sequitur etiam ex hac responsione quod si quadratum aliquod elongetur a visu quousque omnino disparebit quod ita cito disparebit totum illud quadratum sicut aliquis angulus illius, posito quod continue objiciatur consimiliter sicut et prius et secundum eandem superficiem praecise. Quod arguitur ut prius: quia sequitur 'tu

---

<sup>185</sup> granum *corr.*: gradum L

vides hoc quadratum; ergo tu vides quamlibet partem proportionalem illius tibi objectam ad videndum’.

Consequentia patet <per> responsionem <118rb> intuenti, et si sic; ergo vides quattuor angulos illius sicut prius, et sic arguitur pro omni instanti quousque ipsum omnino disparebit.

Et arguitur quod hoc sit falsum, sicut communiter est expertum: quia<sup>186</sup> quadratum quod in aliqua distantia prius apparuit quadratum eidem oculo quiescenti et per elongationem ab eodem oculo apparebit aliquando circulare eidem oculo, ipso tamen continue manente quadrato, sicut prius. Et arguitur tunc sic: tunc apparebit idem quadratum quando apparebit circulare, et tunc non apparebunt anguli nec tu videbis angulos; igitur non ita diu apparebunt anguli sicut illud quadratum apparebit.

Similiter arguitur ad idem sic: nulla pars potest videri per majorem distantiam quam istam per quam potest multiplicare intensionem suam, sed non per tantam distantiam potest aliqua pars alicujus multiplicare intensionem suam sicut totum cujus est pars potest; igitur non ad ita magnam distantiam potest quaelibet pars videri sicut potest totum cujus est pars.

Consequentia patet, et major similiter, et minor arguitur, illa scilicet quod pars non ad ita magnam distantiam potest multiplicare intensionem suam sicut potest totum cujus est pars: quia quaelibet pars est minoris activitatis quam totum cujus est pars, quia totum est fortius et majus quam est aliqua ejus pars; ergo et cetera.

Similiter: ex eadem responsione sequitur quod ad ita magnam distantiam potes videre unum granum frumenti sicut unum molarem vel unum maximum montem, quod videtur esse absurdum.

Et consequentia arguitur sic: quia fiat unus cumulus frumenti quousque sit altior et latior quam sit aliquis mons. Et arguitur tunc sic: tu potes videre talem cumulum ad majorem distantiam quam aliquem montem qui modo est, quia ille cumulus est major tam in latitudine quam in altitudine quam est aliquis mons qui nunc est in magna proportione, et ita bene situatus ad videndum; ergo ita procul vel magis potest ille cumulus videri. Et tunc arguitur sic: tu potes videre illum cumulum ita procul sicut maximum montem, sed ad ita magnam distantiam potes videre unum granum sicut illum cumulum; ergo et cetera.

Minor probatur: quia videndo illum cumulum ad ita magnam distantiam sicut talem montem, tunc vides unum granum ad ita magnam distantiam sicut unum montem, quia ad ita magnam distantiam vides unum granum per responsionem datam sicut totum cumulum, quia sequitur ‘tu vides istum cumulum; ergo vides medietatem istius, et medietatem illius medietatis, et sic in infinitum; ergo tandem deveniretur ad unum granum et non solum ad unum granum, sed ad millesimam partem illius’, quia ille cumulus, ut notum est, non continet infinita grana integra, et quodlibet granum integrum est majus quam millesima pars pedis muscae; sequitur ergo necessario quod aliquando deveniretur ad visionem grani unius et ad quamlibet partem proportionalem illius tibi objectam; ergo et cetera. Et ex hoc arguitur quod tuus visus sit infinitae virtutis ad videndum: quia si nullus visus potest minus videre in aliqua distantia modica optime disposita ad videndum quam visus tuus sufficit in maxima distantia, et quanto visus potest minus videre in majori distantia tui tanto est perfectior et nobilior; ergo visus tuus est infinitae virtutis.

Consequentia arguitur: quia in infinita distantia si aliqua foret <118va> potest visus tuus videre quamlibet partem illius grani sibi objectam, et breviter quodlibet visibile sibi objectum quod in modica distantia potest aliquis visus alius videre; ergo et cetera.

Similiter: contra illud est Commentator expresse primo De caelo, commento sextodecimo, ubi ponit expresse quod quaelibet potentia activa terminatur per maximum quod potest et potentia passiva terminatur per minimum a quo potest pati, et exemplificat de visu, dicens quod visus terminatur per minimum a quo potest pati, quia non a quolibet potest pati, sed si patiatur ab

---

<sup>186</sup> quia corr.: quod V



aliquo, oportet quod illud sit certae quantitatis, et visus qui potest pati a minori in majori distantia est alio visu fortior.

Et consimiliter ponit Commentator ibi de auditu, dicens quod in majori distantia, ut in leuca, audit vocem majorem ibidem non audiret vocem minorem, nec ubi videtur majus videbitur et minus, et per hoc ponit differentiam Commentator inter potentiam activam et passivam, dicens quod si potentia activa potest in majus, potest in minus, sed non sequitur hoc de potentia passiva, et exemplificat ut jam dictum est de potentiis passivis sensitivis.

Ad haec respondetur primo ad primum, quando arguitur quod ita diu videbis millesimam partem proportionalem A visibilis sicut videbis A, dicitur quod videre aliquid est dupliciter, ut praedictum est, scilicet aut per se aut per accidens. Et accipiendo videre pro videre per accidens, ut communiter accipitur, ut cum dicitur aliquid videri indistincte, conceditur quod ita diu videbitur quaelibet pars proportionalis A objecta visui sicut totum A: quia ita diu videbitur quaelibet pars visui objecta indistincte sicut totum distincte.

Et consimiliter dicitur pro alio ubi arguitur quod ad ita magnam distantiam potes videre unum modicum granum frumenti sicut maximum montem in mundo. Conceditur enim quod est possibile si posset fieri tantus cumulus, dum tamen posses videre et bene videre, et sic de aliis circumstantiis, sed non oportet illud concedere, quia non sequitur manifeste ita cito posse fieri talem cumulum, sed tamen, posito quod nunc foret talis cumulus juxta talem montem, bene conceditur conclusio. Unde nunc conceditur quod ad ita magnam distantiam potest quaelibet pars proportionalis maximi montis terminata ad extremam superficiem objectam visui videri sicut potest ille mons totus, et conceditur quod posito quod talis mons videatur per mille miliaria quod per mille miliaria videtur una pars istius montis quae est ita modica sicut aliquod granum milii vel frumenti.

Et consimiliter dicitur ad aliam formam, scilicet ad secundam, qua arguitur quod quadratum continue apparebit in casu posito, quia non citius disparebunt anguli quam illud totum quadratum disparebit, nec e contra. Huic dicitur quod illi anguli objecti visui non citius disparebunt quam illud quadratum disparebit, sed citius disparebit illud quadratum quam illi anguli disparebunt, et etiam citius disparebunt illi anguli quam illi anguli disparebunt: quia ita cito disparebunt illi anguli sicut non apparebunt anguli, et citius non apparebunt anguli quam non apparebunt; et ideo citius disparebunt illi anguli quam illi anguli disparebunt. Et eodem modo est de quadrato: citius enim disparebit illud quadratum quam illud quadratum disparebit; et ideo non sequitur quod quodcumque illud quadratum apparebit apparebit quadratum, quamvis continue quando illud quadratum apparebit, tunc etiam isti anguli apparebunt, quia licet ita diu illi anguli apparebunt sicut illud totum apparebit, non tamen ita diu apparebunt esse anguli sicut totum apparebit esse totum. Et per hoc satis patet responsio ad formam argumenti facti. Dicitur enim negando consequentiam: quia notum est quod non sequitur 'ita diu videbis istos quattuor angulos sicut videbis totum illud quadratum; igitur ita diu totum apparebit tibi quadratum sicut tu videbis illud', quia quamvis continue videbis illos quattuor angulos, non tamen continue apparebunt tibi esse anguli.

Sed forte arguitur quod illi anguli non apparebunt ita diu sicut et illud totum: quia, si sic, sequitur quod totum continue apparebit tibi aequalis quantitatis sicut in principio, quia quaelibet pars media inter illos angulos apparet continue tibi sicut in principio; ergo per aequales partes apparent illi anguli distare in fine distantiae sicut in principio, et si sic; ergo totum quadratum in fine apparebit tantum sicut in principio, quod est falsum.

Praeterea: in fine distantiae illi anguli non apparebunt.

Probatio: quia tunc non apparebunt illi anguli apparere, quia tunc non judicabis aliquantulum de eis quantumcumque advertatur ad illos; ergo et cetera.

Antecedens arguitur: quia inter illos angulos pono unum modicum visibile alterius coloris quod multiplicat intensionem suam per incessum rectum ad oculum, et figura recta non tamen

sensibiliter, et sit illud A. Et arguitur tunc sic: A non apparet; ergo nec quaelibet pars illius anguli sibi immediati, quia quaelibet pars illius anguli ita debilem intensionem agit ad oculum sicut agit A, vel debiliorem, vel forte nullam; ergo qua ratione A non apparet, nec quaelibet pars illius anguli apparet.

Consequentia patet, et assumptum arguitur: quia aliqua pars illius anguli est multo minoris potentiae quam est A, quia si non, sequitur quod quaelibet pars illius foret majoris potentiae quam est A; ergo cum infinitae sint partes illius anguli non communicantes, sequitur quod totus ille angulus foret in infinitum majoris potentiae ad multiplicandum intensionem suam quam est A ad multiplicandum intensionem A, et cum A potest multiplicare intensionem suam per aliquam certam distantiam, sequitur tunc quod ille angulus potest multiplicare intensionem suam per distantiam infinitam, quod est impossibile.

Et consequentia penultima arguitur sic: quia si quaelibet pars istius anguli sit majoris potentiae quam est A, cum dupla pars sit semper duplae potentiae; ergo aliqua pars illius anguli est duplae potentiae ad A, et aliqua triplae, et aliqua quadruplae, et sic deinceps.

Consequentia patet: quia quaelibet pars istius anguli est dupla ad aliquam partem, et quadrupla ad aliam, octupla ad aliam, et sic in infinitum; ergo et cetera.

Ad haec respondetur primo ad primum, quando arguitur quod illud quadratum continue apparebit tantae quantitatis sicut fuit in principio, dicitur negando consequentiam.

Et ad argumentum, quando arguitur quod continue apparebunt illi anguli aequaliter distare sicut in principio, huic dicitur quod hoc est falsum dupliciter: quia non continue apparebunt illi anguli, sicut prius dictum est, quia numquam apparebunt illi anguli nisi quando apparebunt esse anguli, et non continue apparebunt esse anguli; ideo non continue apparebunt illi anguli. <119ra> Nec illi continue apparebunt aequaliter distare sicut in principio: quia licet omnes partes mediae continue apparebunt sicut in principio apparuerunt, illi tamen continue apparebunt minores et minores; et ideo non sequitur quod illi anguli continue apparebunt aequaliter distare.

Ad aliam formam, quando arguitur quod illi anguli non apparebunt, quia non illi apparebunt apparere, quia quantumcumque advertas ad illos non poteris istos distinguere ab aliis partibus illius quadrati nec de illis judicare, huic dicitur concedendo conclusionem illam, scilicet quod non apparebunt apparere. Sed ultra dicitur negando consequentiam 'ergo non apparebunt': quia non sequitur 'illi anguli non in tantum apparent quod potes eos distinguere et judicare eos differre ab aliis partibus illius quadrati; ergo non apparent'. Arguitur enim ibi ab inferiori ad suum superius negatione praeposita; ergo et cetera. Et consimiliter non valet illa consequentia 'non apparent apparere; ergo non apparent': quia ad hoc quod aliquid appareat apparere, requiritur quod ipsum in tantum appareat quod ipsum possit a quocumque alio sibi juxtaposito distinguere, sed hoc non est verum de illis angulis et cetera.

Et tunc ad argumentum, quando arguitur quod A visibile non apparet; ergo a multo fortiori nec quaelibet pars illius anguli juxtapositi, huic dicitur quod non sequitur.

Et quando arguitur quod sic, quia non quaelibet pars illius anguli est ita fortis ad multiplicandum intensionem suam sicut A; igitur nec quaelibet pars illius anguli multiplicabit fortius intensionem suam in oculum quam ipsum A multiplicabit intensionem suam, huic dicitur concedendo conclusionem et etiam antecedens.

Et quando arguitur ulterius quod tunc non quaelibet pars illius anguli apparebit, huic dicitur quod non sequitur, nec sequitur 'intensio alicujus partis istius anguli est debilior quam intensio ipsius A in oculo; igitur si A non potest videri nec quaelibet pars illius anguli videbitur'. Sed in casu illo intensio cujuslibet partis illius anguli est intensio multo fortior quam intensio A in oculo: quia intensio causata a toto angulo est cujuslibet partis intensio, licet tamen non adaequata, quia per illam intensionem videbitur quaelibet pars visa illius anguli, indistincte tamen, nec oportet quod pars quae sic videtur possit distinguere ab aliis

partibus per partem illius intensionis sibi appropriatam et partes quae indistincte videntur videntur per totam intensionem, non per partem illius intensionis quae correspondet eis in distantia bene proportionata.

Unde per hoc patet responsio ad formam argumenti, quando arguitur quod non quaelibet pars illius anguli est ita fortis ad multiplicandum intensionem suam ad oculum sicut est visibile; ergo non cujuslibet partis intensio est ita fortis sicut est intensio A. Dicitur enim quod consequentia non valet: quia nulla pars per se agit intensionem suam, sed omnes partes simul coagunt, et omnes istae fortius agunt quam sufficit A agere per se, sicut viginti homines velocius traherent navem quam unus qui esset in duplo fortior quam aliquis illorum.

Et per hoc patet responsio ad illud quod allegabatur a Commentatore, commento cxvi primo Caeli, scilicet quod Commentator dicat quod virtus visiva non potest pati a quocumque, sed est dare minimum a quo virtus visiva potest pati, id est non a quocumque potest pati per se et distincte, sed visus ille qui a minori potest pati cum eisdem circumstantiis est virtus multo fortior. Verumtamen utrum sit dare minimum a quo virtus visiva potest pati per seipsum non <119rb> adjuncto cum alio sibi simili vel maximum a quo non potest visus pati patebit in proximo argumento. Quantum est nunc ad propositum, dicitur quod Commentator intelligit de illo a quo potest visus per se pati, et sic loquendo non potest aliquis visus pati ab aliquo et subduplo et subquadruplo, et sic in infinitis: quia si posset aliquis visus per se pati ab aliquo et subduplo, et sic deinceps, sequitur quod ille visus foret in infinitum fortior quam nunc est aliquis alius. Et per hoc patet quod non sequitur, licet visus potest pati ab aliquo per accidens, id est partialiter et indistincte, et a subduplo et subquadruplo, et sic in infinitum, quod ipse propter hoc foret infinitae perfectionis: quia quilibet visus sic potest pati et cetera.

Sed forte arguitur contra hoc adhuc sic: quia non quaelibet pars alicujus sensibilis est sensibilis a visu, quia si sic, sequitur quod quantumcumque modicae quantitatis fuerit aliqua pars quod ipsa potest percipi a sensu visus et distingui ab alia parte, quod prius est negatum, quia si ipsa fuerit sensibilis, ipsa potest sentiri, et si sic; ergo distingui potest, quia ad hoc quod aliquid sentiatur requiritur plus quam quod intensio ejus recipiatur in sensu. Requiritur enim quod ipsa sit fortis et sufficiens movere sensum et breviter moveat ipsum sensum. Aliter enim non sentitur sensibile nisi ipsum moveat ipsum sensum et cetera.

Sed pro isto adduc dicitur, sicut prius, quod aliquid est sensibile dupliciter, per se et per accidens. Et conceditur quod quaelibet pars quantitativa alicujus quantumcumque modicum fuerit sensibilis per se vel per accidens.

Et quando arguitur quod non quaelibet talis pars est sensibilis, quia non quaelibet talis pars potest movere sensum; ergo et cetera., huic dicitur quod ista consequentia non valet, sicut non sequitur 'iste homo non potest ridere; ergo iste homo non est risibilis', nec sequitur 'iste homo non habet duos pedes; ergo iste homo non est bipes', et sic de aliis, quia forte haec pars distat tantum nunc a quolibet sensu quod ipsa non potest durare quousque approximetur sibi aliquis sensus quem ipsa potest movere, sicut forte iste homo est ita infirmus et prope mortem quod ipse numquam ridebit nec potest ridere, et tamen est risibilis, et sic de aliis.

Sed haec responsio non vadit multum ad propositum argumenti; ideo posito quod totum illud cujus est haec pars sentiatur modo, et quod illa pars sic sit objecta sensui una cum toto, dicitur quod ipsa tunc sentitur et movet sensum.

Et quando arguitur ulterius quod si illa sic moveat sensum et sentiatur a visu quod visus tunc non potest distinguere illam ab aliis partibus et ipsam cognoscere, huic dicitur negando consequentiam, sicut prius dictum est. Sensibile movere sensum et etiam sentiri est dupliciter, aut partialiter et indistincte, aut per se distincte. Unde ista pars, quamvis moveat sensum, hoc tamen est indistincte et partialiter et non per se; et ideo non sequitur, quamvis moveat sensum, quod propter hoc potest cognosci et distingui a sensu nisi fuerit valde accidentaliter et non per se, sed ratione alterius, sicut posito quod aliquid ita velociter augmentetur quod continue appareat majus quam prius, tunc propter quamlibet partem advenientem apparet illud majus

quam prius, et sic quodammodo distinguitur quaelibet pars adveniens, sed haec est valde accidentaliter et non solum ratione talis partis advenientis, sed quia illa augmentatio est <119va> ita velox quod nulla est pars sensibilis temporis quin illi correspondeat pars sensibilis augmenti. Et ideo apparet illa augmentatio continua: quia licet tanta pars foret addita in die uniformiter quanta nunc additur in hora vel in una parte sensibili modica in toto die, diceretur forte quod non appareret actualiter augmentari, et tamen notum est quod in fine illius diei in majori proportione foret illud augmentum ultra illud quod prius habuit in principio ejusdem diei quam nunc immediate post primum instans ejusdem horae erit augmentatum ultra illud quod habet in principio illius horae; et ideo major causa propter quam continue apparebit majus et majus est velocitas augmentationis, et non solum quantitas de novo acquisita. Et hoc etiam satis apparet in motu locali: quia ibidem potest aliquid ita velociter moveri quod apparebit continue moveri, licet unum pertransiret tantum spacium in die quantum aliud pertransiret in millesima parte illius diei, primum apparet continue moveri et aliud in toto die non apparet actualiter moveri, sed continue quiescere, sicut apparet de radio solis et de motibus in horologiis et in multis casibus et cetera.

Aliter arguitur ad sophisma sic: tu potes videre minimum per se visibile vel maximum non per se visibile, et nullo oculo potes videre minimum per se visibile nec aliquo oculo potes videre maximum non per se visibile; ergo potes videre quod nullo oculo potes videre; ergo et cetera. Antecedens arguitur: quia vel est dare maximum quod per se non potes videre vel minimum quod per se potes videre.

Quod haec divisio sit vera probo: quia signetur aliquid<sup>187</sup> quod sit summe album vel optime coloratum ad videndum, quod tamen ratione suae parvitatibus non sufficit per se movere aliquando visum sensibilem ita quod a nullo visu sufficiat nunc per se videre, et crescat quousque ipsum sufficit per se videri a valde debili visu. Nunc arguitur sicut communiter in omnibus talibus probandis arguitur, et sit hoc visibile A gratia exempli, et tunc arguitur sic: jam non sufficit A per se videri ab aliquo visu, et aliquando per se sufficet videri ab aliquo visu; ergo incipit vel incipiet esse sufficiens per se videri ab aliquo visu. Et sit illud instans B in quo incipiet esse sufficiens per se videri et cetera, et tunc quaeritur utrum in B instanti A erit sufficiens ut per se videatur vel non tunc erit sufficiens ut per se videatur et cetera. Si tunc non erit sufficiens et cetera, et immediate post B instans erit A sufficiens ut per se videatur; ergo in B instanti erit A maximum quod tunc non erit sufficiens ut per se videatur: quia ponatur gratia argumenti quod B instans sit praesens. Et arguitur tunc sic: A in hoc instanti non est sufficiens ut per se videatur, et immediate post instans praesens quod est B instans erit A sufficiens ut per se videatur; ergo A est maximum quod non est sufficiens ut per se videatur. Si autem in hoc B instanti sit A sufficiens ut per se videatur, et immediate ante hoc instans quod est B non fuit A sufficiens ut per se videatur; ergo A est minimum quod sufficit ut per se videatur: quia quantumcumque A foret minus quam nunc est, A non esset sufficiens ut per se videretur, quia immediate ante hoc ipsum non sufficiebat ut videretur per se; ideo et cetera. Ideo sive ponatur quod in B instanti sit A sufficiens ut per se videatur sive ponatur quod in B instanti non erit A sufficiens ut per se videatur, sequitur quod vel est dare minimum quod potest per se videri vel maximum quod non potest per se videri.

Ideo si detur minimum per se visibile, sicut apparet quod vult Commentator primo De caelo, <119vb> commento allegato, arguitur quod non, et sit illud A gratia exempli, tunc A est minimum per se visibile; ergo per aliquam distantiam potest A videri; igitur in minori distantia potest aliqua pars A videri per se vel aliquod minus A ab aliquo fortius agente vel vidente.

---

<sup>187</sup> aliquid corr.: aliquod V

Si dicatur quod requiritur dari optimam distantiam et optimam lucem et potissimam virtutem visivam optime advertentem ad illud sentiendum, et sic de aliis circumstantiis optimis omnibus, sicut est possibile imaginari, et istis omnibus concurrentibus, poterit illud videri et non aliter.

Sed posito quod hoc foret possibile, sicut in rei veritate est impossibile de facto et simpliciter impossibile quoad naturam sed solum possibile imaginabile, adhuc cum illis positis arguitur, et ponatur quod A videatur cum omnibus istis circumstantiis. Et arguitur tunc sic: A videtur; ergo aliqua pars A minus bene videtur, et minus distincte videtur quam videtur A; ergo A non videtur ita debiliter sicut aliquid potest videri, et sic sic; ergo A debilius potest videri quam ipsum modo videatur; debilitetur ergo A vel oculus vel lux medii vel aliqua talis circumstantia quousque A videatur debilius quam prius. Et arguitur tunc sic: jam A videtur debilius quam prius; ergo aliquid<sup>188</sup> minus A cum aequae bonis circumstantiis sicut cum illis quibus A videbatur prius melius quam nunc videtur potest ita bene per se videri sicut nunc videtur A per se; ergo A non est minimum per se visibile.

Consequentia patet, et antecedens arguitur: quia sicut A potest debilius videri per se propter debilitatem seu remissionem alicujus circumstantiae, ita tunc poterit aliquid minus A videri per se sub consimili gradu per intensionem ejusdem circumstantiae; ergo et cetera.

Sed forte dicitur quod A cum illis circumstantiis optimis omnibus prius positis debilissime videtur per se, et quod nihil per se visum potest debilius vel remissius videri per se quam A tunc videbatur cum illis circumstantiis optimis; et ideo licet aliqua pars A videatur remissius quam totum A, non sequitur quod potest remissius per se videri quam tunc videtur totum A, quia nulla pars A videtur per se, sed per accidens et indistincte, nec apparet visibile distincte sed indistincte tantum.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: si A videatur cum illis circumstantiis per se; ergo per se sub aliquo gradu videtur, et quicumque gradus detur non quilibet gradus citra illum est sensibiliter distans per se ab illo nec quilibet gradus ultra illum est sensibiliter remissior illo. Ponitur igitur quod A primo in aliqua proportionem intendatur in aliqua quantitate quousque videatur sub gradu intensiori, non tamen appareat sensibiliter intensior. Et arguitur tunc sic: aliquando quando ipsum erit majus, videbitur sub gradu intensiori quam prius, non tamen sub gradu sensibiliter intensiori quam prius; igitur tunc A non apparebit melius videri quam prius; ergo consimiliter potest A remitti quousque videatur sub aliquo gradu remissiori quam prius, quamvis ipsum non appareat debilius videri quam prius, et si sic; ergo sequitur quod A non est minimum quod potest per se videri.

Similiter: in casu illo medietas A videbitur debilius quam totum A; ergo si remittatur quousque non videbitur omnino citius videbitur ita debiliter sicut tunc videbitur medietas illius A quam ipsum A non videbitur; ideo forte dicitur quod A est maximum non per se visibile.

Sed contra hoc arguitur sicut prius: sit enim illud A. Et arguitur tunc sic: A est maximum quod non est per visibile; ergo A non est per se visibile et quodlibet majus A est per se visibile.

Sed arguitur quod non: quia forte aliquid majus A est multo minus bene coloratum ut videatur quam est A vel omnino non lucidum nec coloratum sicut est terra pura vel materia prima; ergo tale non est per se visibile, et ipsum est majus; ergo et cetera.

Similiter arguitur sic: A non est per se <120ra> sensibile; ergo nec quodlibet majus A est per se sensibile.

Consequentia arguitur sic: quia signetur aliquod majus A insensibiliter tantum illo majus, et juxtaponatur illud ipsi A. Et arguitur tunc sic: illud non est sensibiliter majus A; ergo illud non causabit intensionem sensibiliter fortiolem quam causabit A; ergo intensio illius non

---

<sup>188</sup> aliquid corr.: aliquod V

movebit sensibiliter sensum plus quam faciet intensio A; igitur qua ratione A non videbitur, nec illud videbitur.

Similiter: intendatur A insensibiliter ita tamen quod A sit minus visibile quam illud sibi juxtapositum. Et arguitur tunc: A videbitur ita bene sicut illud juxta se positum, quod sit B, quia sub eodem gradu tunc apparebit A post illam intensionem vel augmentationem factam in illo sicut prius apparuit B; ergo ab illo gradu poterit tantum A remitti continue manendo per se visibile sicut potest B, sed B potest remitti per majorem latitudinem quam prius intendebatur A, quia B in rei veritate plus distat a maximo per se non visibili quam faciat A post suam intensionem; ergo cum A poterit per tantam latitudinem remitti per quantam poterit B, sequitur quod A poterit remitti per majorem latitudinem quam ipsum intendebatur continue manendo per se visibile.

Similiter: A non est maximum quod non est per se visibile, quia A potest per se videri, quia A potest augeri vel majorari quousque possit per se videri; ergo A potest per se videri; ergo A non est maximum per se visibile.

Ideo forte dicitur, sicut est dicendum, in principio, scilicet quod non valet ista divisio, scilicet quod est dare minimum per se visibile vel maximum non per se visibile: quia non est dare minimum per se visibile, ut ponunt argumenta praefacta, nec est dare maximum non per se visibile, ut probavit argumentum prius factum contra illam partem, quia, quocumque tali dato, multa sunt illo majora quorum nullum est per se visibile nec per accidens; igitur et cetera.

Sed ista instantia non multum vadit ad propositum argumenti: quia divisio sic intelligitur quod est dare minimum per se visibile vel maximum non per se visibile ita quod non illud sit visibile nec aliquid aequale sibi sub tanta quantitate praecise, et cuilibet majori illo aliquid aequale sit per se visibile, et sic intelligendo illam divisionem est illa divisio necessaria, sicut probat argumentum factum ad probandum divisionem in principio, et sic universaliter intelligitur in principio quaelibet talis divisio. Sed tamen de virtute sermonis cum non sit auctoritas satis bene, potest negari simpliciter, quia non exprimit opponens carentiam argumenti nisi sciverit defendere illam cavillationem ipsius responsalis, dato et expresso illo intellectu praehabito de divisione conceditur illa divisio pro secunda sui parte intelligendo illam secundam partem sicut prius expositum est, scilicet quod A est maximum quod non est per se visibile ita quod illud A non sit per se visibile nec aliquid sibi aequale sub tanta quantitate praecise et cuilibet majori hoc aliquid aequale est per se visibile.

Et ad argumenta contra illam partem respondetur, primo ad primum, quando arguitur quod si A sit maximum quod non est per se visibile; ergo non cuilibet majori A aliquid aequale est per se visibile, negatur consequentia.

Et quando arguitur ulterius quod non, ponendo quod B sit tale visibile per se quod tamen sit insensibiliter majus A, hoc bene admittitur.

Et quando ulterius arguitur ex illo quod B non est per se visibile: quia B non causat intensionem sensibiliter fortiolem quam A ceteris paribus, huic dicitur negando istam consequentiam.

Et quando arguitur probando illam, quia qua ratione B videtur per intensionem suam quae non est sensibiliter fortior intensione ipsius A, sed tantum insensibiliter, quod eadem ratione A videtur per intensionem suam insensibiliter debilius quam B, huic dicitur <120rb> negando consequentiam, quia licet ille excessus in fortitudine B intensionis respectu A sit insensibilis per se, tamen ille excessus additus toti residuo movet sensum, ubi residuum per se non moveret, immo de virtute sermonis nulla intensio est fortior sensibiliter quam est intensio A, quia intensio A visibilis non est sensibiliter fortis; et ideo B non movet sensibiliter fortius quam movet A.

Ad aliam formam, quando arguitur ad idem ponendo quod A augmentetur vel intendatur quousque sit per se visibile, debilius tamen quam B est, admittatur casus.

Et quando arguitur ulterius ex illo quod A poterit iterum remitti per tantam latitudinem sicut potest B ipso continue manente per se sensibili, huic dicitur quod non.

Et quando arguitur quod sic, quia sub eodem gradu tunc apparebit A sicut B, huic dicitur negando istam propositionem.

Et si dicitur quod sic, quia A et B apparebunt esse aequaliter visibilia; ergo sub eodem gradu apparebunt vel saltem sub eisdem vel aequalibus, huic dicitur negando consequentiam. Unde non omnes gradus simpliciter distant sensibiliter. Notum est enim quod non sequitur 'aliqua talia apparent talia vel talia; igitur sub eisdem gradibus apparent illa talia vel talia': quia forte unum apparet sub uno gradu insensibiliter simpliciter distante ab illo sub quo apparet reliquum. Ideo non sequitur 'apparent aequaliter visibilia; ergo sub eodem gradu apparent visibilia', et ultra non sequitur, quamvis A et B in casu illo apparent aequaliter visibilia quod A et B posse remitti per tantam latitudinem ultra illum gradum sub quo A prius fuit [A] continue manente visibili per se sicut poterit B remitti continue manente per se visibili.

Ad ultimam formam, qua arguitur quod A non est maximum quod non est per se visibile, quia A poterit videri, huic dicitur negando consequentiam, quia non sequitur 'A non est visibile per se; ergo A non poterit videri per se', quia illud est non visibile per se quod non est naturaliter visibile et, ipso existente consimiliter disposito intrinsece omnino sicut jam est, numquam erit sufficiens ut per se videatur sine iuvamento alterius visibilis sibi juxtapositi, nec foret possibile ipsum per se videri secundum omnes dispositiones intrinsecas quas nunc habet nisi ille vel aliqua istarum melioretur, et maxime nisi ipsum fuerit majus quam nunc est, et sic accipiendo maximum non per se visibile, patet quod non valet ista consequentia 'A non est per se visibile; ergo A non potest per se videri', sed sequitur quod A non est sufficiens ut per se videatur, nec est possibile quod ipsum videatur per se sub illa vel sub illa modica quantitate.

Sed si fiat talis divisio utrum sit dare minimum quod potest per se videri vel maximum quod non potest per se videri, dicitur, ut prius, quod est dare maximum quod non potest per se videri, et si tunc ponatur quod illud augmentetur quousque illud sufficiat per se videri, huic dicitur quod illud repugnat illi priori dato, scilicet quod illud datum sit maximum quod non potest per se videri, quia notum est quod haec repugnant 'hoc non potest videri per se' et 'hoc aliquando poterit per se videri', quia si hoc aliquando poterit per se videri, in praesenti instanti potest hoc per se videri; et ideo si illud sit maximum quod non potest per se videri, sequitur quod in aeternum non poterit illud per se videri.

Et si arguitur ex isto quod ista responsio sit falsa, quia detur unum tale quod sit maximum quod non potest per se videri, et sit illud A, et tunc arguitur sic: A est maximum quod non potest per se videri, sed A potest esse majus quam ipsum modo est; ergo A potest per se videri, vel saltem aliquod aequale sibi potest per se videri, quia aliquod aequale A potest rarefieri ipso <sup><120va></sup> manente continue aequae bene disposito sicut nunc est; ergo qua ratione foret A maximum quod non potest per se videri, sequitur quod quodlibet minus A quod non potest per se videri foret etiam maximum quod non potest per se videri, quod est impossibile. Ideo pro isto dicitur, ut prius, quod A non potest in casu isto per se videri.

Et quando arguitur quod A potest esse majus quam ipsum est in praesenti instanti, huic dicitur quod hoc non sequitur, nec est simpliciter repugnans; ideo admittitur in priori casu.

Et tunc quando arguitur ulterius ex isto quod A potest per se videri cum ipsum fuerit majus quam prius, huic dicitur quod hoc repugnat; et ideo illud est negandum.

Et quando arguitur tunc alia pars, quia saltem sequitur quod aliquod quod est aequale et etiam minus A potest per se videri; ergo qua ratione fuit A in principio maximum quod non potest per se videri, etiam tunc sequitur quod minus A fuit maximum quod non potest per se videri, quia tunc fuit aliquid aequale ipsi A, quod tunc potuit majorari ipso continue manente aequaliter visibili sicut prius; ergo tunc fuit aliquid aequale A quod potuit per se videri, et etiam aliquod minus A quod tunc potuit per se videri; ergo A tunc non fuit maximum quod

non potuit per se videri; vel si sic; ergo eadem ratione infinita minora fuerunt consimiliter maxima quae non potuerunt per se videri, huic dicitur quod A tunc fuit maximum quod tunc non potuit per se videri, et modo est similiter maximum, posito quod A sit, quia A nunc est tale quod non potest per se videri, nec aliquod sibi aequale potest per se videri ipso manente continue tanto praecise sicut nunc est A et cuilibet majori hoc A manente continue tanto praecise sicut ipsum nunc est aliquod aequale potest per se videri. Unde conceditur quod A est maximum quod non potest per se videri, et tamen aliquod minus hoc A potest per se videri: quia aliquod minus A potest majorari quousque ipsum fuerit majus A, ipso existente continue visibile aequaliter sicut et prius vel intensius visibili, et sic non potest A, quia licet ponatur quod A potest majorari, non tamen propter hoc sequitur quod A potest per se videri, quia non sequitur 'A potest majorari; ergo A potest per se videri'.

Aliter arguitur ad sophisma sic: aliqua est minima distantia per quam non potes videre A esse pedalis quantitatis aliquo oculo, et per eandem distantiam potes A videre esse pedalis quantitatis aliquo oculo; ergo neutrum oculum et cetera.

Antecedens arguitur, et ponatur quod A sit visibile bipedalis quantitatis, et moveatur ipsum quousque non poterit apparere pedalis quantitatis tibi, tunc vel est dare minimam distantiam per quam non potest tibi apparere pedalis quantitatis vel maximam distantiam per quam potest apparere tibi pedalis quantitatis.

Quod valeat ista divisio arguitur omnino consimiliter sicut in proximo argumento et in quolibet consimili: quia aliquando incipiet esse ita quod B non potest apparere tibi pedalis quantitatis; signetur igitur illud instans et distantia per quam A tunc distabit a te, et sequitur quod illa distantia erit minima distantia per quam A non potest apparere tibi pedalis quantitatis vel maxima per quam potest. Ideo si dicatur primum quod est dare maximam distantiam per quam A potest apparere tibi pedalis quantitatis, contra hoc arguitur sic, et ponatur quod A appareat tibi in tali distantia esse pedalis quantitatis, et ponatur omnino unum aliquod aequale et aequae bene dispositum secundum conditiones omnes in distantia insensibiliter longiori, quod etiam apparet tibi optime sicut potest per <120vb> talem distantiam, et sit illud B. Et arguitur tunc sic: A et B apparent tibi quanta, aut ergo aequalia aut inaequalia. Ponatur enim quod iudices de quantitate eorum. Si dicatur quod apparent tibi aequalia, et A apparet tibi pedalis quantitatis; ergo et B apparet tibi pedalis quantitatis, sed B est magis distans per positum quam A; ergo eadem ratione si A per tantum distaret sicut jam facit B, apparet pedalis quantitatis. Sint enim A et B aequalia omnino et similia, ut prius positum est, et ponatur A in loco B et contra; et tunc qua ratione B prius apparuit pedalis quantitatis, A apparebit pedalis quantitatis, sed tunc distabit A per plus quam per distantiam prius datam maximam; ergo ista distantia prius data non fuit maxima; ergo et cetera.

Sed pro isto dicitur quod B non apparebit pedalis quantitatis in casu prius posito: quia cum ipsum sit omnino aequale A et simile illi, et A distat per maximam distantiam per quam ipsum potest tibi apparere pedalis quantitatis, et B plus distat licet insensibiliter, ipse tamen excessus licet sit per se insensibilis, conjunctio tamen priori distantiae datae maximae facit quod B apparebit sensibiliter minus A.

Sed contra hanc responsionem, licet ipsa sit probabilis, arguitur sic: si B in casu isto apparet sensibiliter minus A; ergo eadem ratione si B foret in aliqua proportione quantumcumque minus A, et poneretur immediate juxta A ita quod aequaliter praecise distarent A et B sicut A jam distat, B appareret sensibiliter minus A et, quantumcumque majus A juxta poneretur ipsi A in tali distantia, ipsum appareret sensibiliter majus A. Et ex isto etiam sequitur quod quantumcumque modicum A appropinquaret oculo tuo apparet majoris quantitatis quam pedalis: quia qua ratione A per remotionem immediate post instans remotionis apparebit minoris quantitatis quam pedalis, et e contra per appropinquationem ipsum apparebit majoris quantitatis quam pedalis.



Similiter: si illud non sequitur, signetur in principio quando A apparuit bipedalis quantitatis unum majus A cum eisdem circumstantiis medii vel oculi quod tunc apparuit aequale A et moveatur illud simul cum A quousque illud simul cum A deveniat ad finem primae distantiae datae, scilicet maximae per quam potest A apparere pedalis quantitatis, et sit illud majus A D. Et arguitur tunc sic: A et D in fine illius distantiae apparebunt aequalia; ergo quamvis A et B insensibiliter plus distarent quam nunc distant, non apparet A minus D propter illam remotionem.

Consequentia arguitur sic: nulla distantia sensibilis in praedicata remotione causavit diversam apparentiam inter A et D in quantitate; ergo a multo fortiori jam non quaelibet distantia insensibiliter major quam prius causabit sensibilem diversitatem inter A et D.

Probat: prius enim A et D continue apparuerunt aequalia non obstante tota remotione, ut pono; ergo jam non quaelibet remotio erit in tantum sensibilis quod ipsa causabit sensibilem diversitatem ut A et D continue appareant inaequalia.

Similiter: in casu isto D continue ultra illam distantiam apparebit majus A sensibiliter et propter majorationem illius distantiae; ergo si D in eadem distantia maxima per quam A potest apparere pedalis quantitatis in aliqua proportione majoretur, sequitur tunc quod ipsum apparet majus A, et cum A tunc apparebit pedalis quantitatis, sequitur quod D quantumcumque majoretur ibi per ipsum apparet majoris quantitatis quam pedalis; ergo eadem ratione et prius apparuisset sic propter quantumcumque quam majorationem illius D, consequens falsum.

<121ra> Sed ad omnia argumenta probabiliter responderi potest negando quamlibet illarum consequentiarum in quocumque argumento. Haec enim consequentia non valet, sicut potest probabiliter sustineri, licet per quamcumque remotionem ultra istam distantiam apparet D majus A, quod propter hoc si D in fine illius distantiae foret in aliqua proportione majus quam nunc quod tunc appareret sensibiliter majus A: quia tota causa quare D continue ultra illam remotionem apparebit majus A sensibiliter est quia A continue apparebit minus sensibiliter quam ipsum apparebit in fine illius distantiae; igitur et cetera.

Et consimiliter dici potest ad aliquam prius adductam: quia aequae probabile apparet ponere aliquid esse ultimum instans in quo A et D apparebunt aequalia in casu, sicut ponere primum instans in quo apparebunt inaequalia ponendo ea quae apparent aequalia elongari quousque appareant inaequalia; et ideo sicut ponendo quod aliquod sit primum instans in quo apparebunt inaequalia in tali casu poneretur quod aliqua remotio erit sufficiens ad causandum tantam diversitatem, et quaelibet major illa sufficit et nulla minor, quia tota remotio usque ad illum punctum ubi primo apparebunt inaequalia ita erit ponendo quod aliquod ultimum instans in quo apparebunt aequalia poneretur quod aliqua remotio non sufficit ad causandam tantam diversitatem et quaelibet major illa sufficit, et hoc est satis probabile.

Ideo arguitur ad hoc quod nulla sit maxima distantia per quam A potest apparere pedalis quantitatis: quia tunc posito quod A appareret pedalis quantitatis in fine illius distantiae, sequitur quod A apparet ibidem cum ita bonis circumstantiis cum quibus posset apparere ibidem, et quod tu ita bene comprehenderes sicut posses, et quod A haberet tantum juvamentum apparendo sicut ipsum posset habere in apparendo tibi habere pedalem quantitatem ibidem, et tunc tu etiam te promoveres quantum foret tibi possibile ad illud idem comprehendendum, et tamen ita debiliter A appareret tibi esse pedalis quantitatis sicut aliquid tibi potest apparere esse pedalis quantitatis, sed istud creditur esse impossibile, et quod illud sequatur satis patet intuenti per praearguta.

Ideo forte dicitur in principio concedendo alteram partem divisionis, scilicet quod est dare minimam distantiam per quam A tibi non potest apparere pedalis quantitatis ad istum intellectum quod per illam distantiam non potest tibi apparere pedalis quantitatis, nec per

aliquam praecise tantam aequae bene dispositam, sed per quamlibet minorem distantiam vel sibi aequalem potest apparere tibi pedalis quantitatis.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: sit illa D gratia argumenti. Tunc arguitur sic: D est minima distantia per quam A non potest apparere tibi pedalis quantitatis; ergo per D distantiam non potest A apparere pedalis quantitatis, et per quamlibet distantiam minorem D distantia vel sibi aequalis potest A apparere pedalis quantitatis.

Et arguitur quod non: nam aliqua est distantia ita modica quod per illam A non potest apparere tibi, quia potest ita appropinquari ad oculum quod omnino non videbitur, quia visibile positum supra visum non videbitur; signetur ergo talis parva distantia quae non est proportionata ad visionem. Et arguitur tunc sic: per illam non potest A videri nec per ita modicam, et haec distantia est minor D distantia; ergo non per quamlibet distantiam minorem D distantia vel sibi aequalem potest A apparere pedalis quantitatis.

Praeterea: signetur D distantia, et ponatur A visibile in fine illius D distantiae, et tunc vel apparebit pedalis quantitatis vel non. Si non, sicut ponit ista responsio, contra: juxtaponatur aliud visibile huic A consimile in toto praeter hoc quod ipsum sit insensibiliter majus A ita quod illud apparebit pedalis quantitatis praecise quod sit B, ut praeargutum est per omnia <121rb> in primo membro illius divisionis. Et arguitur tunc ut prius: A apparet minoris quantitatis quam pedalis, et B apparet pedalis quantitatis; ergo A apparet sensibiliter minus B in fine D distantiae.

Et arguitur quod non: quia quantumcumque modicum A appropinquaret citra finem illius D distantiae A apparebit pedalis quantitatis vel majoris, sed non quaecumque appropinquatio foret sensibilis, quia ipsum tantum appareret distare post appropinquationem sicut ante quando fuit directe ad finem D distantiae; ergo eadem ratione sicut in quolibet puncto citra finem D distantiae apparet A pedalis quantitatis etiam in fine ejusdem distantiae apparebit A pedalis quantitatis.

Etiam arguitur ad idem: quamvis A in aliquo instanti removeretur ultra D distantiam B continue quiescente non appareret A sensibiliter minus quam in fine D distantiae apparebit; ergo eadem ratione quamvis A in aliqua proportione appropinquaret citra finem D distantiae non apparet A sensibiliter majus quam apparebit in fine D distantiae, sed in quolibet puncto citra ultimum punctum D distantiae apparebit A pedalis quantitatis; ergo in fine D distantiae apparebit A pedalis quantitatis et aequale B.

Similiter: A in fine D distantiae in nulla proportione plus distabit ab oculo quam in aliquo puncto citra finem D distantiae, ut notum est; ergo ibidem in nulla proportione apparebit A minus quam in aliquo puncto citra finem ceteris paribus, sed in quolibet puncto citra ejusdem finem A apparebit pedalis quantitatis, quia in quolibet puncto citra D potest A apparere pedalis quantitatis, sicut ponit responsio illa; ergo in fine D distantiae potest A apparere pedalis quantitatis, quia tunc non apparebit A plus distare quam in aliquo puncto citra.

Respondetur ad illam divisionem factam in principio sicut prius tactum est ipsam concedendo pro secunda sui parte.

Et ad argumentum, quando arguitur in oppositum quod aliqua est ita modica distantia quod nec A nec aliquid sibi aequale potest videri per ipsam vel aliquam sibi aequalem, huic dicitur negando illam propositionem de virtute sermonis: quia sequitur 'A videtur per aliquam distantiam; igitur videtur per subduplam distantiam ad illam quaecumque detur, et per subtripulam et subquadruplam, et sic in infinitum, et breviter nulla est ita modica distantia sicut est aliqua per quam A videtur; et ideo de virtute sermonis nulla est distantia ita modica quin per minorem potest A videri', et videtur forte licet ipsum distet ab oculo per mille leucas, sicut patet de sole. Unde non est minor distantia in mundo quam est aliqua per quam aliquando vidisti solem et lunam, et sic de aliis.

Et ideo quando arguitur quod visibile positum supra visum non videtur, dicitur quod hoc est impertinens illi responsioni datae.

Sed forte hic diceretur quod haec responsio non vadit ad propositum sed evadit per unam cavillationem quae non est ad propositum argumenti: quia arguitur prius quod aliqua est ita modica distantia quod <per> ipsam adaequate non potest A apparere tibi pedalis quantitatis, quia A non potest apparere visui per ipsam adaequate nec per aliquam praecise tantam. Huic dicitur forte quod hoc foret possibile et verum, sed illud non est contra responsionem datam de virtute sermonis nec ad bonum intellectum.

Quod illud non sit contra responsionem datam de virtute sermonis satis patet.

Et quod non sit contra responsionem datam ad bonum intellectum satis etiam patet: quia cum conceditur in illa responsione quod aliqua est minima distantia proportionata ad videndum per quam A non potest apparere pedalis quantitatis, sic intelligimus, scilicet quod aliqua est minima distantia proportionata ad videndum per quam A non potest apparere pedalis quantitatis nec per aliquam praecise tantam et per quamlibet minorem proportionatam ad videndum vel sibi aequalem potest A apparere pedalis quantitatis, et contra illud non procedit argumentum.

Ad aliam formam, quando arguitur quod A in fine illius distantiae <121va> apparebit minus quam pedalis quantitatis oculo posito in remotiori extremo ejusdem distantiae datae minimae per quam non potest A et cetera., huic dicitur quod hoc non sequitur: quia non sequitur quod A apparebit ibidem, sed posito, sicut ponitur in argumento illo, quod A apparebit in fine illius D distantiae oculo distante ab eo per totam D distantiam, conceditur quod A apparebit multo minoris quantitatis quam pedalis quantitatis, et valde sensibiliter minus B posito quod B ceteris paribus appareat ibidem pedalis quantitatis.

Et ad argumentum, quando arguitur quod non, quia quantumcumque A appropinquaret versus oculum ipsum non appareret minus quam pedalis quantitatis, sed appareret tunc pedalis quantitatis vel majoris vel aequalis, quia in quolibet puncto citra potest A apparere pedalis quantitatis; ergo ceteris paribus sic apparet si appropinquaret versus oculum, huic dicitur negando illam propositionem, scilicet quod in quolibet puncto illius distantiae apparebit A pedalis quantitatis.

Et quando arguitur quod sic, quia in quolibet puncto citra finem potest apparere pedalis quantitatis; ergo ceteris paribus ita apparebit in quolibet puncto, huic dicitur negando consequentiam, sicut non sequitur 'utrumque istorum potest esse verum in isto instanti, demonstratis duobus contradictoriis contingentibus; ergo ceteris paribus utrumque istorum erit verum in hoc instanti', quia licet ad quemlibet punctum illius distantiae citra finem potest apparere pedalis quantitatis tali oculo sic distanti, non tamen est possibile quod in quolibet puncto citra finem apparebit A pedalis quantitatis, quia ad hoc quod sic appareat in quolibet puncto requiritur quod tam oculus quam A promoveantur sicut possunt promoveri ad illud faciendum, et hoc non est possibile; ergo et cetera. Sicut dato minimo tempore per quod Socrates non potest durare in quolibet instanti intrinseco ejusdem temporis potest Socrates esse, sed non erit possibile quod Socrates erit in quolibet instanti intrinseco ejusdem temporis: quia tunc sequitur quod Socrates erit per totum illud tempus, et tamen dictum est quod idem erit minimum tempus per quod Socrates non potest esse<sup>189</sup>, quod repugnat. Huic dicitur quod Socrates non erit per totum illud tempus; et ideo non est possibile quod Socrates erit in quolibet instanti intrinseco ejusdem temporis licet <in> quolibet instanti intrinseco ejusdem temporis potest esse Socrates: quia tunc tantum promoveretur ad durandum in quolibet instanti sicut ipse potest promoveri, quod non est possibile de facto. Et consimiliter dicitur in proposito.

Et per hoc patet responsio ad aliam formam, quando arguitur quod quamvis A removeretur in aliqua proportione ultra finem D distantiae non appareret A sensibiliter minus quam ipsum tunc appareret in fine distantiae nec sensibiliter minus B quam ipsum apparet in D; ergo

---

<sup>189</sup> esse corr.: eam V

eadem ratione quamvis A in aliqua proportione appropinquaret versus oculum non appareret A sensibiliter majus quam ipsum appareret in D, sed in quolibet puncto citra D appareret A pedalis quantitatis sensibiliter; ergo in D sic apparebit A. Dicitur enim hic, sicut satis apparet per prius dicta, quod ista propositio est neganda, scilicet quod in quolibet puncto citra D appareret A pedalis quantitatis; immo forte valde sensibiliter appropinquabit A versus oculum antequam ipsum apparebit pedalis quantitatis: quia in alio casu plus appropinquabit et in aliquo casu minus antequam ipsum apparebit pedalis quantitatis; ideo cum non sit possibile cum illis circumstantiis quod ita cito apparebit A pedalis quantitatis sicut ipsum A potest apparere, sicut prius positum est, non sequitur quod A appareret in quolibet puncto intrinseco illius distantiae esse pedalis quantitatis, sicut non sequitur quod propter quamcumque remotionem ultra istam distantiam apparebit A minus quam ipsum apparebit in fine illius distantiae, et per hoc <121vb> etiam patet posito, sicut alias ponebatur, quod B foret simile A in aliqua proportione, tamen quod B sit majus A ita quod in principio apparuissent aequalia, et sic removerentur ab oculo per D distantiam quousque appareant inaequalia ita quod B appareat pedalis quantitatis continue per totam D distantiam et etiam in fine. Tunc sequitur quod ante finem D distantiae apparebunt A et B esse inaequalia et quod A non continue apparebit pedalis quantitatis B: quia, sicut prius positum est, non est possibile quod A continue per totam istam distantiam apparebit pedalis quantitatis.

Et si quaeratur utrum sit dare primum instans in quo A et B apparebunt inaequalia et ultimum in quo non, huic dicitur quod utrumque est satis possibile in casu; et ideo dubitatur utrumque nisi ponatur aliud quam adhuc est positum, et si supponatur cetera esse paria simpliciter continue, dicitur quod est dare ultimum instans in quo non apparebunt esse inaequalia sic quod tunc non apparebunt inaequalia et immediate post illud instans apparebunt esse inaequalia; sicut posito quod aliqua propositio credatur esse vera remissius et remissius quousque ipsa incipiet credi esse falsa, tunc quando ista incipiet credi esse falsa, tunc non credetur esse vera nec credetur esse falsa, sed crederetur esse vera vel falsa. Et sic est in proposito quod quando A et B incipiunt apparere esse inaequalia, tunc non apparebunt esse inaequalia nec tunc apparebunt esse aequalia.

Et si arguitur quod sic: quia ista continue apparebunt esse aequalia vel inaequalia, et tunc non apparebunt esse aequalia; ergo tunc apparebunt esse inaequalia.

Secundo: ista continue apparebunt esse aequalia quousque apparebunt esse inaequalia, sed tunc non apparebunt ista esse inaequalia; ergo tunc apparebunt esse aequalia.

Sed pro isto dicitur negando primam consequentiam, sicut non sequitur 'tu scis quod illa sunt aequalia vel inaequalia, et non scis quod ista sunt aequalia; ergo scis quod ista sunt inaequalia'.

Pro secundo dicitur quod iste non fuit casus quod ista continue apparebunt esse aequalia quousque apparebunt esse inaequalia, sed solummodo est positum quod A et B in principio apparuissent aequalia et quod removeantur ab oculo quousque non appareant aequalia, B continue apparente pedalis quantitatis per totam horam et similiter in fine ejusdem horae. Et ex hoc non sequitur quod illa continue deberent apparere aequalia quousque appareant inaequalia. Si tamen hoc supponatur de novo, omnibus paribus quantum est possibile, dicitur quod potest dari primum instans in quo apparebunt inaequalia: quia in tali instanti non apparebunt esse aequalia, quia nulla possunt debilius apparere aequalia quam ista apparebunt aequalia ante illud instans, quia continue remittetur credulitas apparentiae quousque nulla sit; ideo quando ista incipient apparere inaequalia potest ille advertens sic arguere 'ista sunt aequalia vel inaequalia, et jam non sunt aequalia; igitur illa sunt inaequalia'. Istam consequentiam scit esse bonam, et minorem potest ipse sic arguere, scilicet illam 'ista non sunt aequalia', quia ista apparent aliquando aequalia bene intensa, et postea remissius apparebunt aequalia, et modo non apparent aliquo modo aequalia; ideo verisimile est quod ista non sunt aequalia, et sic ex sibi probabilibus potest ipse sibi concludere quod sunt

inaequalia et non solum per visum, quia solum iudicando per visum et non distinguendo intrinsece non foret possibile quod ipsa continue apparerent aequalia quousque appareant inaequalia, ceteris sic existentibus paribus, sic quod nullum illorum poneretur alicui tertio cui ipsum possit comparari, et quod non fiat saltem ultra aliquem gradum in apparentia quod sint aequalia nec in apparentia quod sint inaequalia. Sed uniformiter semper remittatur credulitas seu una apparentia <122ra> quousque adveniat apparentia contraria illi in actu, quia nulla potest assignari ratio propter quam illa duo apparent inaequalia in isto instanti in quo inceperunt apparere inaequalia, quia consimilis ratio potest assignari pro alia parte; ideo tunc sequitur quod nec apparent aequalia nec apparent inaequalia, cuius oppositum ponit iste casus, scilicet quod continue apparebunt aequalia quousque ipsa apparebunt inaequalia. Ideo ponendo quod solum fiat iudicium secundum visum et secundum ea quae movent intrinsece non debet admitti quod illa continue apparebunt aequalia quousque apparebunt inaequalia, nisi velit uti isto termino pro tempore continue ita quod per totum tempus apparebunt ista esse aequalia, quod erit quousque illa apparebunt inaequalia, tunc diceretur sicut prius quod in primo instanti in quo incipient apparere inaequalia nec apparebunt esse aequalia nec apparebunt esse inaequalia, sed apparebunt esse aequalia vel inaequalia in sensu composito et cetera.

## <Decimum sophisma>

### <Quilibet homo morietur>

<123va> Quilibet homo morietur quando unus solus homo morietur.

Hoc sophisma probatur sic: aliquis homo morietur quando unus solus homo morietur, et nullus est homo nec aliquis erit homo quin talis homo morietur et cetera; igitur et cetera.

Similiter: iste homo morietur quando unus solus homo morietur, et ille homo morietur quando unus solus homo morietur, et sic de singulis; ergo et cetera.

Ad oppositum sophismatis arguitur sic: quilibet homo morietur quando unus solus homo morietur; ergo quando unus solus homo morietur quilibet homo morietur.

Similiter: eadem ratione qua quilibet homo morietur quando unus solus homo morietur, sequitur quod quilibet homo morietur quando non quilibet homo morietur, quia nullus est homo nec aliquis erit homo quin ipse morietur quando non quilibet homo morietur; ergo et cetera.

Similiter: iste homo morietur quando non quilibet homo morietur, et iste homo morietur quando non quilibet homo morietur, et sic de singulis; ergo quilibet homo morietur quando non quilibet homo morietur, et ultra; ergo quando non quilibet homo morietur quilibet homo morietur, quod est impossibile.

Similiter: aliquis homo morietur quando ipse idem non morietur; ergo et cetera.

Antecedens arguitur sic: aliquis homo occidetur quando ipse idem non morietur, et quilibet homo qui occidetur in aliquo instanti morietur in eodem instanti; igitur aliquis homo morietur quando ipse idem non morietur.

Antecedens arguitur sic, et ponatur quod Socrates vulneret Platonem laetaliter et e contra. Ponatur tamen quod Plato per duos dies postquam sustinuerit vulnus Socratis vivat et quod Socrates solum vivat per unum diem postquam sustinuerit vulnus Platonis, ita tamen quod uterque istorum morietur propter vulnera sibi illata. Isto posito, ponatur quod isti duo dies sint elapsi, et arguitur tunc sic: Plato occidit Socrates in A hora — sit enim A ista hora in qua Plato sic vulneraverit Socratem.

Et si dicatur quod casus est impossibilis de virtute sermonis, quia primo supponitur quod Plato vivat per duos dies postquam Socrates vulneraverit ipsum, et jam supponitur quod illi duo dies sint elapsi, ponatur tunc casus iste in praeterito et tunc redibit argumentum. Arguitur enim tunc sic: Plato vulneravit Socratem in A hora, et quandocumque sic vulneravit [ipse] Socratem ipse tunc occidit Socratem, sed ita cito sicut Plato occidit Socratem, Socrates fuit occisus; ergo Socrates erat occisus in A hora, et vixit per diem post A horam per casum; ergo Socrates vixit postquam Socrates fuerat occisus et Socrates occidebat Platonem postquam fuerat occisus. Ponitur enim quod statim postquam Plato vulneravit Socratem laetaliter [quod] Socrates e contra vulnerasset Platonem laetaliter. Quo posito arguitur sic: Socrates occidit Platonem postquam ipsemet erat occisus, quia sicut Plato in vulnerando Socratem occidit Socratem, ita Socrates in vulnerando Platonem occidit Platonem, sed Socrates vulneravit Platonem postquam ipse erat vulneratus a Platone, ut supponitur; ergo Socrates occidebat Platonem postquam ipse erat occisus a Platone. Arguitur tunc sic: quandocumque Socrates fuit occisus, ipse <123vb> fuit mortuus, sed postquam fuit occisus occidit Platonem; ergo postquam Socrates fuit mortuus occidit Platonem.

Consequentia patet, et major per hoc quod Socrates numquam vixit postquam erat occisus.

Ideo forte dicitur in principio quod non est possibile quod aliquis homo occidat aliquem hominem nisi ipse egisset in eum vulnus quousque ipse sit vel fuisset mortuus. Unde in casu posito non stat, ut videtur forte, quod Socrates occidat Platonem, quia Socrates non vixit ita diu sicut Plato, immo Plato fuit postquam Socrates non fuit; et ideo Socrates non occidit Platonem, ut dicitur.

Et confirmatur ipsi responsionem suam sic: si Socrates occidit Platonem; ergo occidit Platonem quando fuit ipse vel quando non fuit ipse, sed quando Socrates non fuit non occidit ipse Platonem, ut notum est, nec quando Socrates fuit occidit ipse Platonem, quia Plato vixit postquam Socrates moriebatur, sed Plato non vixit postquam ipse erat occisus; ergo Plato non erat occisus quando Socrates vixit, et ultra; ergo Socrates non occidit Platonem<sup>190</sup> quando Socrates vixit.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic, probando quod Socrates occidit Platonem: quia Plato est occisus, et nullus alius a Socrate intulit sibi aliquod vulnus, ut ponitur; igitur Socrates occidit Platonem.

Similiter: Socrates intulit Platoni vulnus laetale quod erat prima causa et immediata mortis suae; ergo Socrates occidit Platonem.

Similiter: si Socrates non occidit eum Platonem, quia Socrates non vixit ita diu sicut ipse Plato, sequitur quod non esset possibile occidere alium bene distantem ab eo sagittando, quia notum est quod sagittarius non agit in metam quando sagitta intrat in talem metam, vel saltem illud non est dicendum quod requiratur quod sagittarius tunc aliquid agat in metam, quia potest esse quod sagittarius sit corruptus antequam sagitta sua attingat metam; ergo non requiritur quod ipse agat aliquid in metam cum sagitta intrat illam.

Sed ista responsio ponit quod non est possibile quod aliquis occidat alium nisi agat in ipsum quousque moriatur; igitur, cum non est possibile quod sagittarius sic agat in hominem in tantum distantem ab eo, sequitur quod non est possibile aliquem occidere alium hominem sic sagittando ad ipsum, quod est falsum, et contra communem modum loquendi.

Ideo ad sophisma dicitur in principio ipsum concedendo.

Et ad argumentum primum, quando arguitur quod non, quia si quilibet homo morietur quando unus solus homo morietur; ergo quando unus solus homo morietur quilibet homo morietur, huic dicitur negando consequentiam: quia, sicut alias dictum est, iste terminus ‘quando’ non verificatur nisi pro instanti vel instantibus, et quia in nullo instanti in quo morietur unus solus homo nec in aliquibus instantibus in quibus morietur unus solus homo morietur quilibet homo; ideo non quando unus solus homo morietur morietur quilibet homo [moriatur].

Si tamen velis uti isto termino ‘quando’ pro tempore, ita quod idem sit dictum ‘quando morietur unus solus homo morietur quilibet homo’ et ‘in eodem tempore in quo morietur unus solus homo quilibet homo morietur’, [et] sic loquendo posses concedere illam consequentiam et consequens similiter: quia in toto tempore aeterno morietur unus solus homo et etiam quilibet homo; ergo et cetera, sed prior est simpliciter melior et acutior pro sophista.

Ad secundam formam contra sophisma, illa scilicet “quolibet homo morietur quando unus solus homo morietur; ergo eadem ratione quilibet homo morietur quando non quilibet homo morietur”, huic dicitur concedendo consequens, consequentia tamen non est formalis nec est simpliciter bona nisi ponendo quod necessario erit aliquis homo.

Et quando arguitur ulterius ex isto consequente sic: “quolibet homo morietur quando non quilibet homo morietur; ergo quando non quilibet homo morietur quilibet <124ra> homo

---

<sup>190</sup> Platonem corr.: Plato V

moriatur”, huic dicitur negando consequentiam: quia antecedens est verum et consequens formaliter claudit opposita.

Ad ultimam formam contra sophisma, qua arguitur quod aliquis homo morietur quando ille idem homo non morietur, dicitur quod non.

Et ulterius, quando arguitur quod aliquis homo occidetur quando ipse non occidetur, quia aliquis homo occidetur in aliqua hora, qui tamen vivet per istam horam et per magnum tempus post, posito isto casu ibidem admissio, huic dicitur quod hoc non est verum. Unde in casu illo, elapsis illis duobus annis ita quod jam sit primum instans in quo Plato est mortuus, sequitur bene quod Socrates occidit Platonem, numquam tamen prius fuit ita quod Socrates occidit Platonem. Unde heri Socrates occidit Platonem, tamen heri non fuit ita quod ipse occidit eum, quia sequitur ‘Socrates occidit Platonem; ergo Plato fuit occisus vel est occisus’. Et ideo quia numquam fuit ita in casu isto, quod Plato fuit occisus vel est occisus, sed nunc primo est ita; ideo numquam prius fuit ita quod Socrates occidit Platonem, et tamen heri Socrates occidit Platonem.

Similiter: sequitur quod si aliquis occidit alium, ille qui occidit alium egit aliquam actionem quae fuit causa efficiens mediata vel immediata mortis illius occisi, sed quamvis forte fecerit talem actionem respectu mortis Platonis, numquam tamen nec heri nec hodie fuit ita quod illa actio Socratis fuerit causa mortis Platonis, quia numquam prius fuit mors Platonis, quia per casum nunc primo Plato est mortuus, et ideo nunc primo Plato est occisus, et tamen Socrates occidit eum heri, et conceditur quod Plato vixit postquam Socrates occidit eum, sed negatur quod ipse vixit postquam ipse fuit occisus. Et juxta hoc conceditur quod Socrates vel aliquis alius occidit aliquem quando ipse non egit in eum, et quando alius occisus non habuit aliquod malum, sed ipse quem tunc alius occidit fuit valde sanus et integer et per magnum tempus postea in ita bono statu vel meliori quam numquam prius fuit ipse, et etiam per totum tempus per quod ipse vixit qui occidit eum. Unde posito quod aliquis sagittarius occidat aliquem multum distantem ab eo, qui sagittarius prius moriatur quam sua sagitta tangat illum quem occidet, et quod ipse occidendus sit tunc ita bene dispositus sicut ipse umquam prius fuit vel melius, sequitur totum illud prius dictum et cetera.



## <Undecimum sophisma>

### <Tu es quodlibet vel differens a quolibet>

<124ra> Tu es quodlibet vel differens a quolibet.

Probatur sic: tu es differens a quolibet; ergo et cetera.

Consequentia patet, et assumptum arguitur: quia tu es, et quodlibet est, sed tu non es quodlibet; ergo tu es differens a quolibet.

Ideo si conceditur sophisma, sicut est concedendum, contra: tu differs a quolibet; ergo tu <124rb> differs a quolibet a quo tu differs vel tu differs a quolibet a quo non differs, sed tu non differs a quolibet a quo non differs; ergo tu differs a quolibet a quo differs; ergo differs a quolibet et a quolibet differs: quia sequitur 'tu differs a quolibet a quo differs; ergo differs a quolibet et ab illo differs', et ultra 'ergo a quolibet differs', quod est impossibile.

Ideo si dicatur quod differs a quolibet a quo non differs, contra: a nullo differs a quo non differs; ergo non differs a quolibet a quo non differs.

Similiter: tu differs a quolibet a quo non differs, et tu es quodlibet a quo non differs; igitur tu differs a teipso.

Ideo dicitur in principio, sicut est dicendum, quod tu differs a quolibet a quo differs.

Et ad argumentum, quando arguitur quod non, quia si tu differs a quolibet a quo tu differs; ergo tu differs a quolibet et ab illo differs, negatur consequentia illa nec debet intelligi relativum exponi in proposito. Arguitur enim ut sequitur a sensu composito vero ad sensum divisum falsum; ergo et cetera.

Sed arguitur adhuc quod haec propositio concessa sit falsa: quia tu differs ab aliquo a quo non differs, et qua ratione tu differs ab aliquo a quo non differs, tu differs a quolibet a quo non differs; ergo tu differs a quolibet a quo non differs. Assumptum arguitur: quia tu differs ab aliquo a quo nihil differt: quia tu differs ab aliquo a quo non differt aliquid; ergo tu differs ab aliquo a quo nihil differt.

Assumptum arguitur sic: tu es, et aliquid est a quo non differt aliquid, et tu non es aliquid a quo non differt aliquid; ergo tu differs ab aliquo a quo non differt aliquid, et ultra; ergo differs ab aliquo a quo non differs, quod erat probandum.

Ideo forte pro isto dicitur quod nihil est quin ab isto differt aliquid<sup>191</sup>, et ideo forte negatur propositio prius assumpta, illa scilicet 'aliquid<sup>192</sup> est a quo non differt aliquid'.

Sed contra hoc arguitur sic: si nihil sit a quo non differt aliquid; ergo a quolibet differt aliquid<sup>193</sup>. Tunc arguitur sic: a quolibet differt aliquid; ergo quodlibet non est aliquid, et ultra; ergo nihil est aliquid, quod est impossibile.

Et consequentia probatur: quia sequitur 'a quolibet differt aliquid; ergo cuilibet est non idem aliquid', et ultra 'ergo cuilibet non est idem aliquid'.

Haec consequentia probatur ab affirmativa de praedicato finito ad negativam de praedicato infinito; ideo et cetera.

Similiter: si a quolibet differt aliquid; ergo quodlibet differt ab aliquo, et ultra; igitur quodlibet non est aliquid.

Ideo dicitur in principio, sicut est dicendum, concedendo illam propositionem 'aliquid est a quo non differt aliquid': quia quodlibet est huiusmodi, sed negando propositionem minorem, istam scilicet 'tu non es aliquid a quo non differt aliquid': quia ejus contradictorium est

---

<sup>191</sup> aliquid corr.: aliquod V

<sup>192</sup> aliquid corr.: aliquod V

<sup>193</sup> aliquid corr.: aliquod V

concedendum. Nam quodlibet est tale a quo non differt aliquid, ut probavit argumentum probans majorem; ideo negatur illa negativa quae est minor, sicut prius.

Sed contra, probatur quod tu non es aliquid<sup>194</sup> a quo non differt aliquid<sup>195</sup>: quia tu es aliquid a quo differt aliquid: quia tu es aliquid a quo est aliquid differens; ergo tu es aliquid a quo differt aliquid.

Similiter: tu es aliquid a quo differt omne quod est; ergo et cetera.

Similiter: tu es aliquid<sup>196</sup> a quo non differt aliquid; ergo tu es aliquid a quo nihil differt; ergo tu es aliquid a quo nullus asinus differt, et omne tale est asinus; ergo tu es asinus.

Pro istis omnibus dicitur negando quamlibet illarum consequentiarum.

Prima enim non valet: quia arguitur ibidem ac si argueretur ab indefinita ad suum universale: quia arguitur ac si argueretur ‘ab aliquo differt; ergo a quolibet differt’. Arguitur tunc sic: tu es aliquid a quo aliquid differt; ergo <124va> tu es aliquid a quo differt aliquid. Et notum est quod per hoc consequens denotatur quod tu es aliquid a quo quodlibet differt: quia si ab hoc differt aliquid, quodlibet differt ab hoc.

Ista consequentia arguitur: quia sequitur ‘ab hoc differt aliquid<sup>197</sup>; ergo hoc differt ab aliquo’, et ultra ‘ergo quodlibet differt ab hoc’; ergo a primo sequitur ‘a te differt aliquid; ergo quodlibet differt a te’. Ideo quando arguitur sic: a te est aliquid differens; ergo a te differt aliquid, non valet consequentia: quia antecedens non significat nisi quod aliquid differt a te, sed consequens significat quod tu differt ab aliquo; ideo et cetera.

Secunda etiam consequentia prius facta non valet, illa scilicet ‘tu es aliquid a quo differt omne quod est; igitur tu es aliquid a quo differt aliquid vel a quo differt aliquid quod est’, sicut non sequitur ‘tu differt ab omni homine; ergo tu differt ab homine’. In antecedente enim stat iste terminus ‘homo’ confuse tantum, et in consequente stat iste terminus communis ‘homo’ confuse distributive, et sic sub isto termino ‘homo’ in antecedente non contingit fieri descensus per illam regulam ‘quicquid mobilitat et cetera’.

Pro ultima forma, negatur consequentia illa, sicut non sequitur ‘tu es aliquid a quo non quodlibet differt; ergo tu es aliquid a quo quodlibet non differt’. Est enim antecedens verum et consequens falsum, et idem est argumentum factum, sicut potest apparere volenti respicere dicta ad primum argumentum et cetera.

---

<sup>194</sup> aliquid corr.: aliquod V

<sup>195</sup> aliquid corr.: aliquod V

<sup>196</sup> aliquid corr.: aliquod V

<sup>197</sup> aliquid corr.: aliquod V

## <Duodecimum sophisma>

### <Isti sciunt septem artes liberales>

<124va>Isti sciunt septem artes liberales. Supposito quod Socrates et Plato demonstrantur, et quod Socrates sciat tres artes, et Plato sciat quattuor artes, quarum nulla est aliqua ars scitarum a Socrate, quo posito, isti sciunt septem artes liberales: quia septem artes liberales sciuntur, et a nullo <125vb> sciuntur septem artes liberales, nec ab aliquibus aliis sciuntur septem artes liberales quam a Socrate et Platone. Ponatur quod a nullis aliis quam a Socrate et Platone sciuntur septem artes liberales; ergo septem artes liberales sciuntur a Socrate et Platone, et ultra; ergo illi sciunt septem artes, demonstratis illis duobus, videlicet Socrates et Plato.

Similiter ad hoc arguitur quod isti sciunt septem artes: quia iste scit tres artes, demonstrato Socrate, et iste scit quattuor artes, demonstrato Platone, quarum nulla est aliqua scitarum a Socrate; ergo sophisma.

Ad oppositum arguitur sic: isti sciunt septem artes; ergo isti duo sciunt septem artes. Et ultra: isti duo sciunt septem artes; ergo isti duo sunt scientes septem artes, et ultra: ergo isti duo sunt duo scientes septem artes, vel tres scientes septem artes vel quattuor scientes septem artes, vel sic deinceps, sed isti duo non sunt tres scientes septem artes, nec quattuor scientes septem artes, nec sic deinceps, ut notum est; ergo isti duo sunt duo scientes septem artes; ergo aliquis istorum est unus sciens septem artes.

Consequentia patet: quia si sunt duo scientes septem artes; ergo unus est sciens septem artes, sed nullus unus scit septem artes, ut apparet sequi ex casu; ergo nulli duo sunt duo scientes septem artes, et si sic; ergo jam declaratum sequi quod isti duo non sunt duo scientes septem artes nec sciuntur septem artes.

Similiter arguitur sic: isti duo sunt nescientes septem artes.

Quod probatur sic: isti duo sunt duo quorum uterque est nesciens septem artes; ergo isti duo sunt nescientes septem artes.

Et confirmatur antecedens: aliquis istorum est nesciens septem artes, et nullus est istorum quin ille est nesciens septem artes; ergo quilibet istorum est nesciens septem artes, et ultra; ergo isti duo sunt nescientes septem artes, et si sic; ergo isti duo nesciunt septem artes.

Similiter: isti duo non sciunt septem artes.

Probatur: quia isti jam non sunt ita sapientes sicut forent si uterque ipsorum sciret septem artes liberales; ergo si uterque illorum sciret illas septem artes, ipsi duo forent magis sapientes quam modo sunt, sed isti duo tunc non scirent nisi septem artes. Ponatur enim quod uterque istorum tunc praecise sciret septem artes ita quod nihil aliud quam aliquam istarum sciret aliquis istorum; ergo cum illi duo tunc forent magis sapientes quam modo sunt, sequitur quod ipsi non sciunt septem artes.

Similiter: si isti scirent septem artes; ergo scirent quod ita foret sicut istae septem artes significant, consequens falsum: quia nullus illorum scit quod ita est sicut istae septem artes significant.

Ad sophisma, posito casu quod Socrates sciat tres artes solum et Plato quattuor artes quarum nulla sit aliqua illarum scitarum a Socrate, et nulli alii sciant has artes nisi isti duo, dicitur concedendo sophisma tamquam sequens ex casu, sicut probant argumenta pro secunda parte.

Et quando arguitur quod non, quia si isti sciunt septem artes; ergo isti duo sunt duo scientes septem artes, conceditur consequentia et consequens.

Et quando ultra arguitur ex isto sic “isti sunt duo scientes septem artes; ergo aliquis istorum est sciens septem artes”, negatur consequentia, sicut non sequitur ‘isti sunt duo existentes Romae et Exoniae; ergo aliquis istorum est existens Romae et Exoniae’. Nam datis duobus hominibus quorum unus est existens Romae et alius Exoniae, tunc est hoc antecedens verum ‘isti duo sunt existentes Romae et Exoniae’: quia unus istorum est existens Romae et alius Exoniae, consequens ejusdem est falsum, et consimiliter in proposito. Sunt enim Socrates et Plato duo scientes septem artes: quia unus istorum scit tres artes et alius quattuor, et etiam quia isti sunt duo qui sciunt septem artes; ideo isti duo sunt duo scientes septem artes; et ideo non procedit illud argumentum ulterius factum.

Ad aliud argumentum, quando arguitur quod isti nesciunt septem artes, quia isti sunt duo nescientes septem artes, quia isti sunt duo quorum uterque est nesciens septem artes, dicitur consequentiam illam negando.

Et si probatur quod illa consequentia sit bona, quia si uterque est nesciens septem artes; ergo nullus istorum est sciens septem artes; ergo unus <125ra> et alter istorum sunt nescientes septem artes, et si sic; igitur isti sunt duo nescientes septem artes, ideo dicitur ad illud negando istam consequentiam ‘unus istorum est nesciens septem artes, et alter istorum est nesciens septem artes; ergo unus et alter istorum sunt nescientes septem artes’, sicut non sequitur in casu prius posito ‘unus istorum est non existens Romae et Oxoniae, et alter istorum est non existens Romae et Oxoniae; ergo unus et alter istorum sunt non existentes Romae et Oxoniae’.

Ad formam per quam confirmatur ista consequentia prius negata, scilicet ista “aliquis istorum est nesciens septem artes, et nullus est istorum quin ille est nesciens septem artes; ergo isti duo sunt nescientes septem artes”, dicitur etiam negando istam consequentiam, sicut non sequitur ‘aliquis istorum est non videns Socratem et Platonem, et nullus est istorum quin ille sit non videns Socratem et Platonem; ergo isti <duo> sunt non videntes Socratem et Platonem’. Posito enim quod unus videat Socratem et non Platonem et alius videat Platonem et non Socratem, tunc aliquis istorum est non videns Socratem; ergo isti duo sunt non videntes Socratem et Platonem, tunc est antecedens illius consequentiae verum et consequens falsum; ideo et cetera.

Ad aliam formam, quando arguitur quod isti duo nesciunt septem artes, quia isti duo non sunt modo ita sapientes sicut ipsi forent si uterque istorum sciret septem artes; ergo si uterque istorum sciret illas septem artes, isti duo forent magis scientes quam ipsi modo sint, sed tunc non scirent illi duo plus quam ipsas septem artes sic significantes -ponatur enim quod uterque illorum tunc sciret praecise illas septem artes ita quod iste istorum sciret praecise septem artes et nihil aliud quam aliquam illarum artium vel illas septem artes, sed tunc non scirent isti duo nisi praecise septem artes; ergo cum tunc ipsi forent magis scientes quam sunt jam ipsi, sequitur quod ipsi jam non sciunt septem artes, ad hoc breviter dicitur negando istam consequentiam longam. Et causa est quia posito per possibile quod uterque illorum sciret sic praecise illas septem artes, sicut jam suppositum est de antecedente illius conditionalis, ita quod quamcumque scientiam haberet aliquis istorum quod jam eandem scientiam in numero haberet alius illorum, tunc isti duo forent magis scientes quam ipsi jam sunt, et tunc illi duo non tunc scirent plures propositiones vel plures artes quam ipsi modo sciunt, sed pro tanto forent ipsi magis scientes quam modo sunt: quia tunc illi duo scirent aliquid esse qualiter ipsi modo nesciunt esse: quia tunc scirent illi duo sic esse sicut quaelibet istarum artium significaret esse, sed sic non sciunt modo esse; et ideo illi duo forent magis sapientes quam ipsi modo sunt. Quod enim ipsi jam non sciunt sic esse sicut jam significat quaelibet istarum artium patet: quia isti jam non sciunt aliquid esse: quia ad hoc quod isti sciunt aliquid esse requiritur quod uterque istorum sciat sic esse, sicut alias est declaratum: quia aliter

sequitur quod isti scirent unam propositionem simplicem vel compositam quam nullus istorum scit, quod est impossibile.

Et consequentia ista apparet: capiatur enim una propositio quae significet aliqualiter esse, et sciat uterque istorum istam sic significare, et tunc vel sciunt isti duo istam propositionem vel non. Si sic, sequitur illa conclusio, scilicet quod illi duo scirent istam propositionem, quae est A, et nullus illorum scit illam: quia nullus istorum scit sic esse sicut illa significat nec sicut illa significat scit aliquis illorum esse. Ponitur enim quod isti duo sic sciunt esse, et quod nullus illorum sciat sic esse; ergo nullus illorum scit illam propositionem; ergo et cetera. Si dicatur quod isti non sciunt illam propositionem, contra: illa propositio praecise significat sicut isti sciunt esse, et isti duo sciunt illam propositionem sic significare, ponatur cum priori ipsi sciunt illam.

Consequentia ista nota est, et antecedens per rationem, et sic sequitur quod non potest esse quod isti duo sciant aliqualiter esse nisi uterque istorum sciat sic esse; sequitur ergo quod si uterque istorum scit septem artes liberales, quod isti duo forent magis scientes quam ipsi sunt: quia tunc scirent isti aliqualiter esse et modo <125rb> ipsi non sciunt taliter esse, et quilibet etiam illorum foret magis sciens quam modo est aliquis istorum.

Et per hoc patet responsio ad istam consequentiam, qua arguitur quod isti duo non sciunt septem artes liberales quia isti duo nesciunt sic esse qualiter istae septem artes significant; ergo isti nesciunt istas artes, huic dicitur quod ista consequentia non valet, sicut satis diffuse est declaratum. Ad hoc enim quod isti scirent sic esse sicut significant illae septem artes, requiritur quod uterque istorum sciret sic esse, et non valet ista consequentia; ideo et cetera.

## <Tredecimum sophisma>

### <Isti pugnant ut vincant>

<125rb>Isti pugnant ut vincant se.

Hoc sophisma probatur sic: ponatur quod Socrates pugnet cum Platone ut vincat ipsum, et Plato pugnet e contra cum Socrate ut vincat ipsum, et non pugnant isti duo cum aliquibus aliis, nec cum aliquo alio. Quo posito arguitur sophisma sic: isti pugnant ut vincant aliquos aut isti pugnant ut vincant seipsos aut ut vincant alios quam seipsos, sed ipsi non pugnant ut vincant alios quam ipsos; ergo isti pugnant ut vincant seipsos.

Minor patet: quia ipsis non pugnant ut vincant alios quam Socratem et Platonem, et ipsimet sunt Socrates et Plato; ergo ipsi <non> pugnant ut vincant alios ab istis.

Similiter: isti pugnant ut vincant istos, demonstratis seipsis; ergo sophisma est verum.

Assumptum arguitur sic: iste pugnat ut vincat istum, demonstrando praecise Platonem, et iste pugnat ut vincat istum, demonstrando Socratem; ergo isti pugnant ut vincant istos, demonstrando seipsos.

Ad oppositum arguitur sic: isti pugnant ut vincant se; ergo isti pugnant ut vincantur, consequens falsum: quia nullus illorum pugnat ut vincatur, sed quilibet istorum pugnat ut non vincatur.

Similiter sic: isti pugnant ut vincant se; ergo aliquis istorum pugnat ut vincat se, consequens falsum.

Similiter sic: isti pugnant ut vincant se; ergo isti pugnant contra se, sed isti pugnant pro se; ergo isti pugnant contra illos pro quibus pugnant, consequens falsum; ergo et cetera.

Ad sophisma, posito casu isto, dicitur negando ipsum.

Et ad argumentum primum in oppositum, quando arguitur sic “isti pugnant ut vincant aliquos, et isti non pugnant ut vincant alios quam seipsos; ergo isti pugnant ut vincant seipsos”, dicitur negando antecedens: quia isti non pugnant ut vincant aliquos: quia sicut probat unum argumentum factum ad oppositum sophismatis, isti non pugnant contra aliquos: quia tunc sequitur quod isti pugnant contra illos pro quibus pugnent, ita bene sicut possent, quod est impossibile, unde utrumque illorum repugnat contra aliquem unum. Et isti non pugnant contra aliquos nec contra aliquem, unde ipsi pugnant et tamen non pugnant contra aliquem nec contra aliquos, unde <125va> signatis duobus contradictoriis, ista sunt contradictoria et tamen nullius sunt contradictoria, nec ipsa sunt aliquorum contradictoria et tamen utrumque illorum est alicujus contradictorium, et sic est in proposito, videlicet quod isti duo non pugnant contra aliquos et tamen utrumque illorum pugnat contra aliquem, nec sequitur ‘utrumque illorum pugnat contra aliquem; ergo isti pugnant contra aliquos’, sicut posito quod Socrates et Plato pugnent contra Ciceronem et Socratem et e contra, tunc sequitur quod Socrates et Plato non pugnant contra aliquos: quia hoc tunc foret contra seipsos, et tunc sequitur quod ipsi simul pugnent contra seipsos et pro seipsis prudenter et rationabiliter: quia ponatur quod quilibet istorum quattuor rationabiliter pugnent, et tunc, sicut prius dictum est, sequitur illud impossibile deductum: si Socrates et Plato non pugnant contra seipsos, sed contra Ciceronem et Socratem, per idem argumentum quo probatur quod ipsi pugnent contra Ciceronem et Socratem potest probari quod ipsi pugnent pro seipsis, sicut patet intuenti.

Et praeterea ad hoc sequitur prior conclusio impossibilis, scilicet quod isti pugnent contra istos et pro istis: quia qualitercumque arguitur quod ipsi pugnent contra istos, potest etiam argui quod ipsi pugnant pro istis. Si enim sic arguitur: Socrates pugnat contra Ciceronem et Plato contra Socratem; ergo Socrates et Plato pugnant contra Ciceronem et Socratem, sic

etiam potest argui sub eadem forma sic: Socrates pugnat pro Socrate, et Plato pugnat pro Cicerone; ergo Socrates et Plato pugnant pro Socrate et Cicerone; sequitur igitur quod si pugnent in casu isto contra aliquos quod ipsi pugnent pro eisdem; igitur non valet ista consequentia ‘uterque istorum pugnat contra aliquem; igitur isti pugnant contra aliquos’. Et consimiliter dicitur respectu quorumcumque duorum exercituum pugnantium quod tales duo exercitus pugnant, et tamen non pugnant contra aliquem nec aliquos, et tamen quilibet illorum forte pugnat contra mille armatos.

Et si arguitur quod ex isto sequitur quod non est possibile quod aliqui pugnent contra aliquos nisi quilibet istorum pugnet contra quemlibet illorum, huic dicitur quod hoc est falsum et impossibile. Ponitur enim quod A pugnet contra B et e contra, et C contra D et e contra, cum casu posito stat tunc quod A et C pugnent contra B et D, etiam stat quod ipsi non pugnent contra B et D, ut ipsi A et B pugnent Romae et C et D Londonis; ideo non sequitur licet aliqui duo pugnent contra aliquos duos quod uterque istorum pugnet contra quemlibet illorum contra quos ipsi pugnant; et ideo non sequitur ‘iste pugnat contra istum, et iste contra istum; ergo isti pugnant contra istos’, nec valet ista consequentia ‘isti non pugnant contra istos; ergo isti non pugnant contra istos’. Et sicut jam dictum est ad primam formam negando, scilicet quod ipsi pugnant ut vincant aliquos, posito primo casu sophismatis, ita dicitur ad secundam formam, quando arguitur “isti pugnant ut vincant istos”, dicitur negando istam propositionem. Sequitur enim ‘isti non pugnant contra ut vincant aliquos; ergo isti non pugnant ut vincant istos, quibuscumque demonstratis’; ideo et cetera.

Et ad argumentum, quando arguitur quod sic: quia sequitur ‘iste pugnat ut vincat istum, et iste pugnat ut vincat istum; ergo isti pugnant ut vincant istos’, dicitur <et> negatur ista consequentia, ut prius dictum est, neque sequitur ‘iste pugnat contra istum, et iste pugnat contra istum; ergo isti pugnant contra istos’.

Sed forte arguitur sic probando istam propositionem ‘isti pugnant ut vincant aliquos’: quia isti pugnant ut vincant; ergo isti pugnant ut vincant aliquos vel aliquem, sed isti non pugnant ut vincant aliquem; ergo isti pugnant ut vincant aliquos.

Consequentia patet, et arguitur prima propositio illa, scilicet ‘isti <125vb> pugnant ut vincant’: quia iste pugnat ut vincat, et iste pugnat ut vincat; ergo uterque istorum pugnat ut vincat; ergo isti pugnant ut vincant.

Similiter: isti duo pugnant ut obtineant victoriam; ergo isti duo pugnant ut vincant.

<Con>sequentia nota est, et antecedens patet cuilibet intuenti. Ideo ad hoc dicitur concedendo conclusionem, videlicet quod ipsi pugnant ut vincant, et tamen negatur consequentia ‘ergo pugnant ut vincant aliquem vel aliquos’, ut prius dictum est. Ipsi enim non pugnant ut vincant aliquos vel aliquem nisi ipsi pugnent contra aliquem vel aliquos, sed, sicut ab initio concessum est, ipsi non pugnant contra aliquem vel aliquos; ideo ipsi non pugnant ut vincant aliquem vel aliquos.

Sed iterum forte arguitur sic: ipsi pugnant ut ipsi vincant; ergo ipsi pugnant ut ipsi vel alii vincantur.

Consequentia patet ab activa ad passivam.

Huic dicitur quod regula non vadit ad propositum. Haec enim regula intelligitur de tali propositione cujus principale verbum est verbum activum et cetera, sed sic non est in proposito: quia hoc verbum ‘vincant’ non est verbum principale istius propositionis ‘isti pugnant ut vincant’, sed hoc verbum ‘pugnant’; ideo non accipitur ibidem regula ad propositum ad probandum istam consequentiam negatam, sed qualiter regula intelligitur prius apparuit diffuse, et sic patet sophisma et cetera.

## <Decimum quartum sophisma>

### <Omnis homo est animal et e converso>

<125vb> Omnis homo est animal et e converso.

Quod sophisma sit verum arguitur sic: iste homo est animal et e converso, et ista homo est animal et e converso, et sic de singulis; ergo omnis homo est animal et e converso.

Similiter: aliquis homo est animal et e converso, <126ra> et nullus est homo quin ille est animal et e converso, nec aliqua est homo quin ipsa est animal et e converso; ergo sophisma.

Similiter: si non sit ita quod omnis homo est animal et e converso, tunc stet oppositum, scilicet quod non omnis homo est animal et e converso, et arguitur tunc sic: non omnis homo est animal et e converso; ergo aliquis homo non est animal et e converso, et ultra: aliquis homo non est animal et e converso; ergo aliquis homo non est animal et aliquod animal non est homo, quod est falsum, quoniam prima pars copulativae quae est consequens est falsa sive impossibilis.

Sed forte negatur ista consequentia ‘non omnis homo est animal et e converso; ergo aliquis homo non est animal et e converso’.

Sed contra arguitur ista consequentia sic: si non omnis homo est animal et e converso; ergo non omnis homo est animal et non omne animal est homo.

Consequentia ista apparet: quia universaliter sequitur ‘omnis homo est animal et e converso; ergo omnis homo est animal et omne animal est homo’.

Similiter: sequitur ‘nullus homo est animal et e converso; ergo nullus homo est animal et nullum animal est [aliquis] homo’, consimiliter sequitur ‘non omnis homo est animal et e converso; ergo non omnis homo est animal et non omne animal est homo’, et si sic; ergo non omnis homo est animal, quod est impossibile, et hoc sequitur ex opposito sophismatis; ergo sophisma verum.

Ad oppositum arguitur sic: si omnis homo est animal et e converso; ergo omnis homo est animal et omne animal est homo, quod est impossibile.

Similiter: omnis homo est animal et non e converso; ergo falsum est quod omnis homo est animal et e converso; ideo <et cetera>.

Ad hoc sophisma dicitur quod est impossibile.

Et ad primum argumentum factum ad ejus probationem, hoc scilicet “iste homo est animal et e converso, et ista homo est animal et e converso, et sic de singulis; ergo et cetera”, huic dicitur negando consequentiam: quia non valet sicut nec illa quae est secum convertibilis, illa scilicet ‘iste homo est animal, et animal est iste homo, et ista homo est animal et animal est ista homo, et sic de singulis; ergo omnis homo est animal et omne animal est homo’.

Ad aliam formam, quando arguitur sic “aliquis homo est animal et e converso, et nullus est homo quin iste est animal et e converso; ergo et cetera”, dicitur concedendo consequentiam, negando tamen antecedens. Est enim impossibile, sicut et sophisma; ergo et cetera.

Ad ultimam formam, quando arguitur “si non sit ita quod omnis homo est animal et e converso, stet ergo oppositum, videlicet non omnis homo est animal et e converso”, et quando arguitur ulterius sic “non omnis homo est animal et e converso; ergo non omnis homo est animal et non omne animal est homo”, huic dicitur concedendo consequentiam et negando antecedens.



Et si dicatur quod antecedens est contradictorium sophismatis, dicitur quod non, sed haec propositio est contradictorium sophismatis ‘non est ita quod omnis homo est animal et e converso’.

Et si arguitur sic “non est ita quod omnis homo est animal et e converso; ergo ita est quod non omnis homo est animal et e converso”, negatur consequentia, sicut non sequitur ‘non est ita quod omnis homo est animal et quod omne animal est homo; ergo est ita quod non omnis homo est animal et non omne animal est homo’. Est enim antecedens istius consequentiae verum et consequens falsum vel impossibile; sequitur igitur quod ista consequentia non valet.

Et si arguitur ex isto quod duo contradictoria sunt simul falsa: quia ista propositio ‘omnis homo est animal et e converso’ sit una propositio categorica; ergo possibile est quod sibi contradicat una propositio alia categorica, sed nulla propositio categorica potest sibi verius contradicere quam talis prius accepta ‘non omnis homo est animal et e converso’; ergo et cetera.

Et quod sophisma sit una propositio categorica probatur: quia ipsum non foret una propositio hypothetica nisi foret copulativa, sed ista non est copulativa, quia ad hoc quod aliqua propositio sit copulativa requiritur quod illa nota copulationis ‘et’ sit communis et copulet duas propositiones ad invicem, et non solum duos tales terminos, seu unam propositionem cum uno tali termino, sed sic non est in proposito; ergo ipsum sophisma non est copulativa, et si sic, sequitur quod illa propositio prius accepta erit contradictorium <126rb> illius sophismatis.

Ad reductionem, quando arguitur quod duo contradictoria sunt simul falsa, juxta hanc responsionem, dicitur quod hoc non sequitur.

Et quando arguitur quod sic, quia istae duae propositiones sunt simul falsae ‘omnis homo est animal et e converso’ et ‘non omnis homo est animal et e converso’, et istae duae sunt contradictoriae; ergo et cetera, conceditur consequentia et negatur minor.

Et tunc, quando arguitur quod sophisma est una propositio categorica, quia ibi non est copulatio duarum propositionum ad invicem, sed solum copulatur unus terminus cum una propositione; ergo ipsa non est copulativa, si sic; ergo est categorica; ergo possibile est quod aliqua categorica sibi contradicat et nulla alia nisi praedicta; ergo et cetera, huic dicitur quod ultima consequentia non valet simpliciter: quia forte ista non posset ita diu manere quousque sibi contradiceret una categorica, sed hoc non est ad propositum; ideo conceditur quod possibile est quod sibi contradicat una propositio categorica, sed non ista ‘non omnis homo est animal et e converso’, quia ista est impossibilis sicut sophisma, quia illa significat quod non omnis homo est animal, quia sequitur ‘non omnis homo est animal et e converso; ergo non omnis homo est animal et non omne animal est homo’, et ex ista copulativa sequitur, ut notum est, quod non omnis homo est animal. Unde universaliter ubicumque iste terminus ‘e converso’ copulatur cum aliqua propositione, semper arquipollet uni copulativae nisi aliunde restringatur iste terminus per aliquam aliam determinationem quam per unam propositionem simplicem categoricam. Sic tamen non est respectu aliquorum terminorum communium qui sic copulati aliquando aequivalent uni copulativae, aliquando non. Unde haec propositio ‘Socrates est legens et disputans’ aequivalet isti copulativae ‘Socrates legit et Socrates disputat’, haec tamen propositio ‘nullus homo est disputans et legens’ non aequivalet isti copulativae ‘nullus homo est legens et nullus homo est disputans’: quia ista copulativa non sequitur ex ista, sed iste terminus ‘e converso’ ubicumque copuletur ad aliquam propositionem nisi aliunde restringatur seu determinetur semper aequivalet uni copulativae. Unde sequitur ‘nullus homo est animal et e converso; ergo nullus homo est animal et nullum animal est homo’, et notum est quod sicut sequitur talis copulativa respectu istius termini ‘nullus’ sequitur etiam respectu hujus negationis ‘non’: quia non plus talis nota negationis ‘non’ impediret talem significationem quam haec negatio ‘nihil’ vel ‘nullus’, et sic de aliis. Sequitur igitur quod non potest aliquis ponere communiter respondendo quod sequitur ‘nullus

homo est animal et e converso; ergo nullus homo est animal et nullum animal est homo masculus' et ponere quod non sequitur 'non omnis homo est animal et e converso; ergo non omnis homo est animal et non omne animal est homo'. Sequitur igitur quod istae duae propositiones non contradicunt 'omnis homo est animal et e converso' et 'non omnis homo est animal et e converso', sicut nec istae duae copulativae quibus aequivalent 'omnis homo est animal et omne animal est homo' et 'non omnis homo est animal et non omne animal est homo'. Sed contradictorium sophismatis est ista propositio 'non est ita quod omnis homo est animal et e converso', et haec propositio significat quod non est ita quod omnis homo est animal et quod omne animal est homo, et notum est quod haec propositio 'non est ita quod omnis homo est animal et e converso' convertitur cum ista disjunctiva 'non omnis homo est animal vel non omne animal est homo'. Sequitur enim 'non est ita quod omnis homo est animal et omne animal est homo; ergo non omnis homo est animal vel non omne animal est homo'. Ex opposito enim consequentis sequitur formaliter oppositum antecedentis, et sicut ex ista categorica sequitur ista disjunctiva, sic ex ista disjunctiva sequitur ista categorica, et ista disjunctiva contradicit illi copulativae quae convertitur cum sophismate; sequitur ergo quod illa propositio 'non est ita quod omnis homo est animal et e converso' contradicit sophismati, et ista est una <126va> propositio categorica alia quam est ista 'non omnis homo est animal et e converso'.

Ideo quando arguitur quod ista sit impossibilis 'non omnis homo est animal et e converso', bene conceditur, nec ex isto sequitur quod sophisma sit verum: quia licet ista propositio 'non omnis homo est animal et e converso' repugnet sophismati, non tamen contradicit sophismati; ergo et cetera.

Et si arguitur quod sequitur 'non est ita quod omnis homo est animal et e converso; ergo non est ita quod omnis homo est animal et non est ita quod omne animal est homo': quia prius ponebatur quod ubicumque copulatur iste terminus 'e converso' cum aliqua categorica propositione significat talem copulativam, huic dicitur quod ibi fuit additum quod tota ista copulatio significat unam copulativam et aequivalet uni copulativae nisi per aliud restringatur, sed in proposito restringitur tota copulativa ne sic significet per illam conjunctionem 'quod' quae facit quod tota copulatio est una propositio mere categorica, licet tamen non sit simplex categorica de simplici subjecto et de simplici praedicato. Unde tota illa oratio 'non est ita quod omnis homo est animal et quod omne animal est homo' est una propositio categorica mere, et tamen dereptis illis duabus conjunctionibus foret totum residuum una copulativa; haec ergo copulatio 'non est ita quod omnis homo est animal et e converso' est una propositio mere categorica non aequivalens uni copulativae tali, sicut nec illa propositio quae convertitur cum negativa tali, scilicet 'non est ita quod omnis homo est animal et quod omne animal est homo'; et ideo ex contradictorio sophismatis non sequitur illud impossibile praeassignatum sicut nec aliquod aliud falsum.

Et si arguitur quod data propositio non est contradictorium sophismatis, quia ex quo sophisma est una propositio categorica, contradictorium sophismatis est una categorica de consimilibus terminis, nullis terminis extraneis de novo acceptis, huic dicitur negando consequentiam: quia quantumcumque praeponeatur negatio alicui tali propositioni, nisi apponantur termini ratione quorum non significet iste terminus 'e converso' copulative, est tota ista propositio quaecumque fuerit aequivalens uni propositioni copulativae et cetera.

Ad primum argumentum ad sophisma, hoc scilicet "iste homo est animal et e converso, et iste homo est animal et e converso, et sic de singulis; ergo omnis homo est animal et e converso", dicitur negando consequentiam.

Et si arguitur quod ista consequentia est bona, quia arguitur ab omnibus singularibus ad suum universale; ergo et cetera, huic dicitur negando consequentiam et etiam antecedens. Est enim quaelibet singularis qua ratione distributionis formaliter sequitur ex sua universali singularis

illius universalis, sed, sicut prius dictum est, formaliter sequitur ‘omnis homo est animal et e converso, et hoc est animal, quocumque demonstrato; ergo hoc est homo et e converso’.

Et quod ista consequentia sit bona satis patet per praemissa: quia sequitur ‘omnis homo est animal et e converso; ergo omnis homo est animal et omne animal est homo’, et sequitur ultra ‘omne animal est homo’, ex illo tunc sequitur ‘omne animal est homo, hoc animal est animal; ergo hoc animal est homo’.

Et si dicitur quod non valet prima consequentia facta, ista scilicet ‘omnis homo est animal et e converso; ergo omnis homo est animal et omne animal est homo’, contra istud non est argumentum nisi sicut ipse respondens voluerit significationem illius propositionis supponere. Primo tamen quaerendum est ab eo qualiter illud sophisma sic significat, et consimiliter haberet etiam sic respondens concedere istam conditionalem ‘si homo currit, animal currit et e contra’ et ‘si aliquid sit homo, illud est animal et e converso’, quae tamen solent satis apparere impossibiles esse.

Ad secundam formam, quando arguitur quod sophisma sit verum sic “aliquis homo est animal et e converso, et nullus est homo quin ille est animal et e converso; ergo sophisma”, conceditur consequentia et negatur antecedens. Est enim ista propositio impossibilis ‘nullus est homo quin iste est animal et e converso’: quia ex ista sequitur quod nullus est homo quin ille est animal et nullum est animal quin illud est <126vb> homo, quod impossibile, et cetera.

## <Decimum quintum sophisma>

### <Bis duo sunt tria et non plura>

<127ra> Bis duo sunt tria et non plura.

Quod sophisma sit verum arguitur sic: duo et duo sunt tria et non plura; ergo sophisma.

Consequentia patet, et antecedens arguitur sic: quia A B C sunt tria et non plura, et A B C sunt duo et duo; ergo duo et duo sunt tria et non plura.

Consequentia patet, et minor probatur: quia A B C sunt haec duo A et B et haec duo B et C; ergo sunt duo et duo. Sequitur enim ‘haec tria sunt haec duo et ista duo; ergo haec tria sunt aliqua duo et aliqua duo’, et ultra ‘ergo ipsa sunt duo et duo, et ipsa sunt tria et non plura; ergo duo et duo sunt tria et non plura; ergo bis duo sunt tria et non plura; ergo et cetera’.

Similiter: bis duo sunt duo et non plura; ergo a multo fortiori bis duo sunt tria et non plura. Si enim quattuor forent duo; ergo a multo fortiori quattuor sunt tria: quia quattuor et tria minus repugnant quam quattuor et duo; ergo per idem, cum bis duo sint quattuor et non plura, et bis duo sunt duo et non plura, sequitur quod bis duo sunt tria et non plura; ergo et cetera.

Assumptum arguitur, videlicet quod bis duo sunt duo et non plura: quia bis duo sunt duo et duo, et omnia duo et duo sunt duo et non plura; ergo et cetera.

Minor probatur et frequenter probabitur, scilicet quod omnia duo et duo sunt duo et non plura: quia quibuscumque duobus captis, ista duo et duo sunt duo et non plura. Demonstratis enim istis duobus oculis tuis, ista duo et duo sunt duo et non plura: quia ista duo et duo sunt duo et non plura, semper replicando eadem duo, quae scilicet sunt oculi tui.

Et si dicatur quod ista propositio ‘ista duo et ista duo sunt duo et non plura’ implicat falsum, quia significat quod ista duo sunt duo et duo et non est ita, quia non sunt nisi semel duo, contra hoc arguitur sic: isti duo oculi sunt duo oculi et duo instrumenta videndi; ergo isti duo oculi sunt duo et duo. Et consimiliter arguitur de quibuscumque duobus captis quod ista duo sunt duo et duo: quia, demonstratis duobus punctis, ista puncta sunt duo puncta et duo indivisibilia, et duo extrema alicujus lineae vel linearum, et duo homines sunt duo homines et duo animalia, et sic de singulis duobus arguitur: quia duo talia sunt duo et duo, et si sic; ergo omnia duo et duo sunt duo; ergo duo et duo sunt duo et non plura. Sed omnia duo et duo sunt bis duo: quia omnia duo et duo sunt quattuor; ergo aliqua duo sunt bis duo; ergo bis duo sunt duo et non plura, quod erat probandum.

Ad oppositum arguitur sic: bis duo sunt tria et non plura; igitur bis duo sunt aliqua.

Sed arguitur quod non: quia nulla duo sunt bis duo: quia omnia duo sunt tantum semel duo, nec aliqua quae non sunt duo sunt bis duo: quia quae non sunt duo illa non multotiens sunt duo; ergo nulla sunt bis duo, et si sic; ergo nulla bis duo sunt tria et non plura.

Similiter: si bis duo sunt tria et non plura; ergo duo sunt tria et non plura.

Consequentia arguitur sic: quia sequitur ‘bis duo sunt <127rb> tria et non plura; ergo bis duo sunt tria’, et sequitur ‘bis duo sunt tria; ergo aliquotiens duo sunt tria; ergo duo sunt tria’; igitur a primo sequitur si bis duo sunt tria et non plura quod duo sunt tria, consequens falsum et impossibile; ergo et cetera.

Ad sophisma dicitur quod ipsum est impossibile; et ideo negandum est illud.

Et ad primum argumentum in oppositum ad probandum sophisma, quando arguitur sic “duo et duo sunt tria et non plura; ergo bis duo sunt tria et non plura”, dicitur negando consequentiam, et sicut prius erat declaratum et ibidem dicebatur quod antecedens est necessarium, scilicet quod duo et duo sunt tria et non plura. Unde, sicut prius dicebatur, omnia duo et duo sunt tria et non plura, et omnia duo et duo sunt duo et non plura, et omnia duo et duo sunt quattuor, et

tamen nulla duo sunt tria, nec aliqua duo sunt quattuor; et ideo non valet ista consequentia ‘duo et duo sunt tria et non plura; ergo bis duo sunt tria et non plura’. Sicut enim probant argumenta contra sophisma nulla sunt bis duo: quia nec duo nec plura quam duo.

Et consimiliter dicitur ad aliam formam, quando arguitur quod bis duo sunt duo et cetera, quia duo et duo sunt duo et non plura, huic dicitur negando consequentiam propter eandem causam.

Et quando arguitur “duo et duo sunt duo et non plura”, ista propositio conceditur tamquam necessaria, et negatur consequentia ulterius “ergo bis duo sunt duo et non plura”: quia nulla duo et duo sunt bis duo.

Et si arguitur quod sic, quia quattuor sunt bis duo, et omnia quattuor sunt duo et duo; igitur duo et duo sunt bis duo, huic dicitur negando antecedens, scilicet quod quattuor sunt bis duo: quia quattuor non sunt aliquotiens duo, quia breviter ipsa non sunt duo; et ideo tam negatur quod quattuor sunt bis duo quam negetur quod bis duo sunt quattuor; et ideo non procedit aliquod argumentum factum ad probationem sophismatis.